An. et vol. XCVI 3 Decembris 2004 N. 12

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico – Città del Vaticano – *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

ADHORTATIO APOSTOLICA POST-SYNODALIS

De Episcopo ministro Evangelii Iesu Christi pro mundi spe

INTRODUCTIO

1. Pastores gregis, Episcopi scilicet, in suo ministerio obeundo sciunt se posse singulari gratia divina inniti. Secundum Pontificalis Romani normas, princeps Episcopus ordinans, cum sollemnem Ordinationis orationem recitat, postquam effusionem Sancti Spiritus qui omnia regit atque conducit invocavit, verba ex antiquo textu *Traditionis Apostolicae* deprompta iterat: «Da, cordium cognitor Pater, huic servo tuo, quem elegisti ad episcopatum, ut pascat gregem sanctum tuum [...] sine reprehensione».[1] Manet ita et adimpletur voluntas Domini Iesu, Pastoris aeterni, qui misit Apostolos sicut Ipse missus erat a Patre (cfr *Io* 20, 21); quorum successores, id est Episcopos, in Ecclesia sua usque ad consummationem saeculi pastores esse voluit.[2]

Boni Pastoris effigiem, tam dilectam etiam a pervetusta iconographia christiana, prae oculis habebant Episcopi qui, ex toto orbe hucusque provenientes, a die XXX Septembris usque ad diem XXVII Octobris MMI anni X Coetui Generali Ordinario Synodi Episcoporum interfuerunt. Coram sepulcro Petri apostoli ipsi una Nobiscum sunt meditati de effigie *Episcopi, ministri Evangelii Iesu Christi pro spe mundi*. Omnes concorditer persuasum sibi habuerunt effigiem Iesu Boni Pastoris singularem constituere imaginem, ad quam continenter spectandum esset. «Nullus enim est pastor bonus *nisi per caritatem efficiatur unum cum Christo*».[3] Haec est praecipua ratio propter

[1] *Ritus Ordinationis Episcopi*: Oratio Ordinationis.
[2] Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 18.
[3] S. Thomas Aquinas, *Super Ev. Joh.*, X, 3.

quam « effigies exemplaris Episcopi, cui Ecclesia confidere pergit, illa est Pastoris qui, Christo conformatus vitae sanctitate, magnanimiter vires impendit pro Ecclesia sibi concredita, simul ferens in corde sollicitudinem omnium Ecclesiarum quae per orbem terrarum diffunduntur (cfr *2 Cor* 11, 28) ».[4]

Decimus Coetus Synodi Episcoporum

2. Gratias igitur Domino reddamus, quoniam donum nobis concessit denuo coetum Synodi Episcoporum celebrandi et in ipso insigniter experiendi, quid sit *esse Ecclesiam*. Celebratus adhuc vigente aura Magni Iubilaei anni MM, tertio incipiente christiano millennio, X Coetus generalis ordinarius Synodi Episcoporum post longam seriem coetuum actus est: sive specialium, qui unum habebant prospectum evangelizationis diversis in continentibus, ex Africa in Americam, Asiam, Oceaniam atque Europam; sive ordinariorum, quorum novissimi suum converterunt studium in peramplas divitias quae Ecclesiae obveniunt ex diversis vocationibus in Populo Dei a Spiritu suscitatis. Hoc in prospectu attentio dicata proprio Episcoporum ministerio complevit conspectum illius ecclesiologiae communionis et missionis, quam semper prae oculis habere necesse est.

Hac in re Patres synodales constanter se referebant ad doctrinam de episcopatu deque Episcoporum ministerio a Concilio Vaticano II delineatam, praesertim in tertio capite Constitutionis dogmaticae de Ecclesia *Lumen gentium* atque in Decreto de pastorali Episcoporum munere in Ecclesia *Christus Dominus*. De hac lucida doctrina, quae contrahit et evolvit translaticia elementa theologica et iuridica, Paulus VI, Decessor Noster ven. mem., merito potuit affirmare: « Videtur Nobis episcopalis auctoritas ex Concilio exire denuo defensa in sua divina institutione, confirmata in sua necessaria actione, corroborata in suis pastoralibus muneribus docendi, sanctificandi et regendi, honorata in sua extensione ad Ecclesiam universalem per collegialem communionem, pressius explicata in sua collocatione hierarchica, corroborata a fraterna corresponsalitate cum ceteris Episcopis erga universales et particulares Ecclesiae necessitates atque magis sociata in spiritu submissae unionis solidalisque cooperationis cum capite Ecclesiae, centro Collegium episcopale constituente ».[5]

[4] Ioannes Paulus II, *Homilia* in conclusione X Coetus Generalis Ordinarii Synodi Episcoporum (27 Octobris 2001), 3: *AAS* 94 (2002), 114.

[5] *Allocutio* ad Cardinales, Archiepiscopos et Episcopos Italiae (6 Decembris 1965): *AAS* 58 (1966), 68.

Eodem tempore, sicuti propositum fuit a quaestione ipsis exhibita, Patres synodales recogitaverunt proprium ministerium sub luce spei theologalis. Etiam hoc munus extemplo apparuit tamquam praecipue ad missionem pertinens pastoris, qui in Ecclesia ante omnia testimonium paschale et eschatologicum profert.

Spes in Christo posita

3. Nam uniuscuiusque Episcopi officium est mundo spem annuntiare, incipiendo a praedicatione Evangelii Iesu Christi: spem quidem « non solum illam quae realitates respicit paenultimas, sed etiam et praesertim spem eschatologicam, illam nempe quae Dei gloriae exspectat thesaurum (cfr *Eph* 1, 18), quae totum superat quod in cor hominis ascendit (cfr *1 Cor* 2, 9) et cum qua comparari nequeunt momenti praesentis passiones (cfr *Rom* 8, 18) ».[6] Theologalis spei, simul ac fidei et caritatis prospectus, pastorale Episcopi ministerium omnino informare debet.

Ad eum singulari modo pertinet officium se gerendi uti prophetam, testem et spei servum. Eius est fiduciam infundere et cuilibet rationes de spe christiana annuntiare (cfr *1 Pe* 3, 15). Episcopus propheta est, testis et servus huius spei, praesertim ubi maiore pondere quaedam cultura, ut aiunt, immanentistica instat, quae omne excludit ad sese aperiendum erga transcendentiam. Ubi deest spes, de fide ipsa ambigitur. Amor etiam languescit cum haec virtus deficit. Spes enim, praesertim temporibus quibus augescunt incredulitas et incuria, solidum columen est fidei atque efficax ad caritatem incitamentum. Ipsa vim suam haurit ex certitudine universalis voluntatis salvificae Dei (cfr *1 Tim* 2, 4) et ex constanti praesentia Domini Iesu, *Emmanuelis* qui iugiter nobiscum est usque ad consummationem saeculi (cfr *Mt* 28, 20).

Tantummodo luce et consolatione promanantibus ex Evangelio Episcopus vivam suam spem tenere potest (cfr *Rom* 15, 4) eamque alere in fidelibus suae sollicitudini pastorali concreditis. Ipse igitur imitator erit Virginis Mariae, *Matris spei*, quae credidit, quoniam perficientur Verba Domini (cfr *Lc* 1, 45). Verbo Dei nisus et spei firmiter adhaerens, quae est sicut tuta ac firma ancora incedens usque in caelum (cfr *Heb* 6, 18-20), Episcopus in medio suae Ecclesiae custos est, propheta impavidus, testis credibilis et servus fidelis Christi, qui est « spes gloriae » (cfr *Col* 1, 27), cuiusque vi « mors ultra non erit, neque luctus neque clamor neque dolor erit ultra » (*Apc* 21, 4).

[6] *Propositio* 3.

Spes cum omnes deficiunt spes

4. Neminem latet sessiones Synodi Episcoporum diebus gravi horrore plenis evenisse. In animo Patrum synodalium adhuc viva repercutiebatur terribilium eventuum memoria illius diei XI mensis Septembris eiusdem anni MMI, qui innumeris insontibus victimis acerbo fuerunt exitio et in mundo nova pergraviaque discrimina haesitationis et metus ut orirentur fecerunt pro ipso humano cultu et pacifico populorum convictu. Conspiciebantur hoc modo novi belli mortisque prospectus qui, sese coniungendo cum aliis iam praesentibus conflictationum condicionibus, ostendebant, quam instanter ac vehementer preces ad Principem Pacis effundendae essent, ut hominum corda iterum ad reconciliationem, ad mutuam consensionem et pacem aperirentur.[7]

Una cum precibus, coetus synodalis vocem suam intendit, ut omne violentiae genus damnaretur ultimaeque eius radices ostenderentur in hominis peccato positae esse. Humanis deficientibus exspectationibus quae, subnixae ideologiis materialisticis, immanentisticis et oeconomisticis, sibi ius vindicant omnia existimandi secundum efficientiam atque rationes violentiae et mercaturae, Patres synodales sese pro certo habere iterum confirmaverunt, solum lucem Christi resurgentis impulsionemque Spiritus Sancti hominem adiuvare ad proprias exspectationes collocandas in spe quae non confundit. Quapropter declaraverunt: « Sinere non possumus ut timorem nobis incutiant variae species negationis Dei viventis, quae conantur, plus minusve aperte, minari christianam spem funditus perdere, in ridiculum vel in derisionem vocare. Hoc quidem confitemur in gaudio Spiritus: *Christus surrexit vere!* Is enim, sua in hominis natura glorificata, conspectum vitae aeternae aperuit omnibus hominibus qui paenitentiam agunt ».[8]

Haec fidei professio eam habeat oportet certitudinem ut firmiorem in dies spem efficiat Episcopi, inducens eum ad credendum misericordem Dei bonitatem numquam cessaturam esse salutis vias construere easque uniuscuiusque hominis libertati aperire. Spes addit ei animum ut in adiunctis in quibus explet ministerium suum discernat signa vitae, quae valeant noxia letaliaque germina profligare. Spes quoque eum sustentat ut dissensiones etiam convertat in incrementi occasiones, dum aperit eas ad reconciliationem. Adhuc spes posita in Iesu, Bono Pastore, compassione replebit cor eius eumque inducet

[7] Cfr IOANNES PAULUS II, *Oratio* triginta post dies mensis Septembris diei XI, anno MMI: *L'Osservatore Romano,* 12 Octobris 2001, p. 1.

[8] SYNODUS EPISCOPORUM, X COETUS GENERALIS ORDINARIUS, *Nuntius* (25 Octobris 2001), 8: *L'Osservatore Romano,* 27 Octobris 2001, p. 5; cfr PAULUS VI, Litt. Ap. *Octogesima adveniens* (14 Maii 1971), 41: *AAS* 63 (1971), 429-430.

ad cuiusque viri et mulieris dolores participandos, ut eorum vulneribus medeatur, fiduciam iugiter nutriens errantem ovem inveniri posse. Hoc modo Episcopus in dies praeclarius erit signum Christi, Pastoris et Sponsi Ecclesiae. Agens veluti pater, frater et amicus omnium hominum, apud singulos erit viva imago Christi, spei nostrae, in quo cunctae Dei promissiones adimplentur omnesque creationis exspectationes consummantur.[9]

Evangelii ministri pro mundi spe

5. Dum igitur hanc Nostram Adhortationem Apostolicam Ecclesiae tradere volumus, in qua illud patrimonium considerationis sumimus, quod effectum est occasione X Coetus Generalis Ordinarii Synodi Episcoporum, a primis quidem *Lineamentis* usque ad *Instrumentum Laboris*, a vocibus Patrum synodalium in aula prolatis usque ad duas Relationes, quae eas introduxerunt et breviter rettulerunt, a cogitationis pastoralisque experientiae divitiis exortis apud *circulos minores* usque ad *Propositiones* in conclusione laborum synodalium Nobis exhibitas, ut universae Ecclesiae congruens offerremus documentum de argumento synodali cuius titulus: *Episcopus, minister Evangelii Iesu Christi pro mundi spe*,[10] fraternam Nostram ostendimus salutationem et osculum pacis mittimus omnibus Episcopis qui in communione sunt cum hac Cathedra, Petro primum collata, quae unitatem tueretur et, sicut ab omnibus comprobatur, praesideret in caritate.[11]

Vobis, Venerabiles et dilectissimi Fratres, iterum invitationem facimus quam novo ineunte millennio ad universam extendimus Ecclesiam: *Duc in altum!* Immo, ipse Christus eam iterat Successoribus Apostolorum, qui eam audierunt viva eius voce pronuntiatam atque, Ipsi confidentes, profecti sunt in missionem per vias mundi: *Duc in altum* (*Lc* 5, 4). Sub lumine huius instantis invitationis Domini «possumus respicere triplex munus nobis ab Ecclesia commissum: *munus docendi, sanctificandi et regendi ... Duc in docendo!* 'Praedica verbum — dicamus cum Apostolo — insta opportune, importune, argue, increpa, obsecra in omni longanimitate et doctrina' (*2 Tim* 4, 2). *Duc in sanctificando! Retia* quae inter homines mittere debemus ante omnia sunt Sacramenta, quorum nos praecipui sumus dispensatores, moderatores, custodes et promotores. Ipsa constituunt speciem salvifici *retis* quod liberat a malo et conducit ad vitae plenitudinem. *Duc in regendo!* Veluti Pastores

[9] Cfr *Propositio* 6.

[10] Cfr *Propositio* 1.

[11] Cfr Optatus Milevitanus, *Contra Parmenianum donatistam*, 2,2: *PL* 11, 947; S. Ignatius Antiochenus, *Ad Romanos*, 1,1: *PG* 5, 685.

verique Patres, coadiuti a sacerdotibus aliisque cooperatoribus, officium habemus fidelium familiam congregandi atque caritatem fraternamque in ea communionem provehendi... Quantumvis agatur de missione ardua et laboriosa, nemo animo deficiat. Una cum Petro primisque discipulis nos quoque sinceram nostram fidei professionem confidenter renovemus: Domine, 'in verbo tuo laxabo retia' (*Lc* 5, 5)! In Verbo tuo, Christe, servire volumus tuo Evangelio pro spe mundi! ».[12]

Hoc modo, viventes veluti homines spei atque in proprio ministerio communionis et missionis ecclesiologiam ostendentes, Episcopi vere spei rationes erunt suo gregi. Scimus mundum indigere spei « quae non confundit » (*Rom* 5, 5). Scimus Christum hanc esse spem. Id scimus, ideoque spem annuntiamus quae ex Cruce oritur.

Ave Crux spes unica! Haec salutatio, quae resonuit in aula synodali fervente opere X Coetus Generalis Synodi Episcoporum, in labiis nostris semper resonet, quoniam Crux mysterium est mortis et vitae. Crux est Ecclesiae « arbor vitae ». Quapropter nos annuntiamus vitam de morte triumphavisse.

Praecessit nos in hoc paschali nuntio agmen sanctorum Pastorum, qui *in medio Ecclesiae* eloquentia fuerunt signa Boni Pastoris. Nos hac de causa laudamus Deum omnipotentem et aeternum eique semper agimus gratias quia nos — sicut cantamus in Sacra Liturgia — eorum exemplo piae conversationis corroborat, verbo praedicationis erudit, supplicatione tuetur.[13] Vultus uniuscuiusque horum sanctorum Episcoporum, a primordiis vitae Ecclesiae ad nostram usque aetatem, sicut diximus in conclusione laborum synodalium, est veluti quaedam imago quae, composita in specie mystici musivi operis, vultum efficit Christi Boni Pastoris. In Eum igitur, etiam in hac re exemplar nosmet ipsos reddentes gregi quem Pastorum Pastor nobis concredidit, fixos oculos nostros teneamus ut, semper maiore cum studio, *ministri Evangelii pro spe mundi* efficiamur.

Vultum nostri Magistri et Domini contemplantes, illa hora qua Iesus « in finem dilexit suos », nos omnes, sicut apostolus Petrus, ipsi consentiamus ut pedes nostros abluat, ut cum eo partem habeamus (cfr *Io* 13, 1-9). Atque virtute quae ab Ipso nobis provenit in Sancta Ecclesia, coram nostris presbyteris et diaconis, in conspectu omnium vitae consecratae sodalium universorumque dilectorum christifidelium laicorum, iterum alta voce proferamus: « Loquor qualiscumque servus Dei: spes vestra non sit in nobis... Boni

[12] Ioannes Paulus II, *Homilia* in initio X Coetus Generalis Ordinarii Synodi Episcoporum (30 Septembris 2001), 6: *AAS* 94 (2002), 111-112.

[13] Cfr Missale Romanum, *Praefatio de Sanctis Pastoribus.*

sumus, ministri sumus; mali sumus, ministri sumus. Sed boni, fideles ministri, vere ministri ».[14] *Ministri Evangelii Iesu Christi pro mundi spe.*

Caput I

DE EPISCOPI MYSTERIO ET MINISTERIO

« ... *et elegit Duodecim ex ipsis* » (*Lc* 6, 13)

6. Dominus Iesus tempore terrenae peregrinationis proclamavit Evangelium Regni illudque in se ipso inauguravit, eius mysterium omnibus hominibus revelando.[15] Vocavit viros et mulieres suam in sequelam, et inter discipulos elegit Duodecim, « ut essent cum illo » (*Mc* 3, 14). Evangelium secundum Lucam explicat, Iesum hanc electionem suam fecisse postquam in monte pernoctans fuit in oratione Dei (cfr *Lc* 6, 12). Evangelium vero secundum Marcum huiusmodi Iesu actionem denotare videtur veluti actum supremum, actum constitutivum qui identitatem tribuit iis, quos ipse elegit: « et *fecit* Duodecim » (*Mc* 3, 14). Ita revelatur electionis Duodecim mysterium: est actus amoris, quem libere Iesus voluit alta in coniunctione cum Patre et cum Spiritu Sancto.

Missio a Iesu Apostolis concredita manere debet « usque ad consummationem saeculi » (*Mt* 28, 20), quoniam Evangelium, quod ipsi officium habent tradendi, vita est pro Ecclesia cuiusque temporis. Hanc ob rationem ipsi successores instituere curaverunt, ita ut, sicut testatur S. Irenaeus, saeculorum decursu traditio apostolica manifestaretur et custodiretur.[16]

Specialem effusionem Spiritus Sancti, quo Apostoli repleti sunt a resuscitato Domino (cfr *Act* 1, 5.8; 2, 4; *Io* 20, 22-23), ipsi participaverunt per manuum impositionem in sui operis socios peractam (cfr *1 Tim* 4, 14; *2 Tim* 1, 6-7). Ipsi vicissim, eodem gestu, transmiserunt eam aliis, et hi insuper aliis. Hoc modo spiritale donum a primordiis usque ad nos pervenit per manuum impositionem, id est per episcopalem consecrationem, quae plenitudinem confert sacramenti Ordinis, summum sacerdotium, sacri ministerii totalitatem. Ita per Episcopos iisque assistentes presbyteros Dominus Iesus Christus, etiamsi sedet ad dexteram Dei Patris, inter credentes adesse pergit. Semper et ubique Ipse verbum Dei praedicat cunctis gentibus, sacramenta

[14] S. Augustinus, *Sermo* 340/A, 9: *PLS* 2, 644.

[15] Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 3.

[16] Cfr *Adv. haer.* 2,2; 3,1: *PG* 7, 847. 848; *Propositio* 2.

fidei administrat credentibus eodemque tempore populum Novi Foederis in eius peregrinatione ad aeternam beatitudinem conducit. Bonus Pastor non derelinquit suum gregem, sed semper custodit eum et tuetur per eos qui, vi ontologicae participationis eius vitae et missionis, eminenti et adspectabili modo sustinentes suas magistri, pastoris et sacerdotis partes, ipsius agunt vices. In exercitio munerum quae ministerium pastorale secum fert, et constituti sunt eius vicarii et legati.[17]

Fundamentum trinitarium episcopalis ministerii

7. Christologica ministerii pastoralis ratio, altiore ratione considerata, inducit ad perceptionem trinitarii fundamenti eiusdem ministerii. Christi vita est trinitaria. Ipse est Filius aeternus et unigenitus Patris atque unctus Spiritu Sancto, missus in mundum; Ipse, una cum Patre, Spiritum mittit Ecclesiae. Haec trinitaria ratio, quae manifestatur toto modo vivendi et agendi Christi, conformat etiam exsistentiam et actionem Episcopi. Merito ergo Patres synodales perspicue illustrare voluerunt Episcopi vitam ministeriumque sub luce trinitariae ecclesiologiae, quae in doctrina Concilii Vaticani II continetur.

Perantiqua est traditio quae Episcopum ostendit veluti imaginem Dei Patris, qui — secundum verba sancti Ignatii Antiocheni — est tamquam *Episcopus invisibilis*, *Episcopus omnium*. Quamobrem quisque Episcopus locum tenet Patris Iesu Christi, ita ut praesertim ob hanc legationem ipse ab omnibus aestimari debeat.[18] Ad hanc symbolicam structuram quod attinet, episcopalis cathedra, quae praecipue in Orientalium Ecclesiarum traditione paternam revocat Dei auctoritatem, solummodo ab Episcopo occupari potest. Eadem de structura exoritur uniuscuiusque Episcopi munus paterno amore Dei populum sanctum curandi ac dirigendi, una cum presbyteris, Episcopi cooperatoribus in eius explendo ministerio, et cum diaconis, in via salutis.[19] Fideles vicissim, sicut quidam vetustus admonet textus, amare debent Episcopos, qui post Deum sunt patres et matres.[20] Hanc ob rationem, secundum consuetudinem apud nonnullos populorum cultus vigentem, fideles osculantur manum Episcopi veluti manum Patris amabilis, largitoris vitae.

Christus icon primigena est Patris atque manifestatio misericordis eius praesentiae inter homines. Episcopus, in persona et nomine ipsius Christi

[17] Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 21; 27.

[18] Cfr *Ad Magnesios* 6,1: *PG* 5, 764; *Ad Trallianos* 3,1: *PG* 5, 780; *Ad Smyrnenses* 8,1: *PG* 5, 852.

[19] Cfr Pontificale Romanum, *Ritus Ordinationis Episcopi:* Electi officia.

[20] Cfr *Didascalia Apostolorum* II, 33,1, ed. F.X. Funk, I, 115.

agens, in Ecclesia sibi concredita vivens fit signum Domini Iesu, Pastoris et Sponsi, Magistri et Pontificis Ecclesiae.[21] Hic est fons pastoralis ministerii, itaque — sicut suadet homileticum schema in Pontificale Romano propositum — tria munera docendi, sanctificandi et regendi populum Dei exerceri debent peculiaribus dotibus Boni Pastoris: caritate, gregis cognitione, omnium sollicitudine, actione misericordi erga pauperes, peregrinos et indigentes, ovium perditarum requisitione eas reconducendi causa ad unicum ovile.

Denique Spiritus Sancti unctio, Episcopum Christo configurans, eum idoneum reddit ut viva sit continuatio eius mysterii pro Ecclesia. Propter huiusmodi peculiaritatem trinitariam suae exsistentiae, suo in ministerio unusquisque Episcopus attendere debet cum amore universo gregi, in quo positus est a Spiritu regere Ecclesiam Dei: in nomine Patris, cuius praesentem reddit imaginem; in nomine Iesu Christi, Filii eius, a quo constitutus est magister, sacerdos et pastor; in nomine Spiritus Sancti, qui dat vitam Ecclesiae suaque virtute humanam roborat infirmitatem.[22]

Episcopalis ministerii indoles collegialis

8. « ... et fecit Duodecim » (*Mc* 3, 14). Constitutio dogmatica *Lumen gentium* per haec evangelica verba doctrinam inducit de indole collegiali coetus Duodecim, quos Christus « ad modum collegii seu coetus stabilis instituit, cui ex iisdem electum Petrum praefecit ».[23] Pari ratione, quoniam Episcopus Romanus personaliter succedit Beato Petro, et omnes Episcopi simul sumpti succedunt Apostolis, Romanus Pontifex et Episcopi tamquam collegium inter se coniunguntur.[24]

Collegialis coniunctio inter Episcopos constituitur simul Ordinatione episcopali simulque communione hierarchica; eademque ideo essentiam ipsam cuiusque Episcopi tangit et pertinet ad Ecclesiae structuram sicut eam voluit Iesus Christus. Nam Episcopi in episcopalis ministerii plenitudine sociantur vi consecrationis episcopalis et communione hierarchica cum Collegii Capite atque membris, id est cum Collegio quod semper suum Caput comprehendit. Ita fiunt membra Collegii episcopalis,[25] propter quod tria munera, videlicet sanctificandi, docendi et regendi, in Ordinatione episcopali assumpta, exerceri

[21] Cfr *Propositio* 6.

[22] Cfr Pontificale Romanum, *Ritus Ordinationis Episcopi*: propositum homiliae.

[23] *Lumen gentium*, 19.

[24] Cfr *ibid.*, 22; Nota praevia ad Const. *Lumen gentium*, 1º; *Codex Iuris Canonici*, can. 330; *Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium*, can. 42.

[25] Cfr Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 22; *Codex Iuris Canonici*, can. 336; *Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium*, can. 49.

debent in communione hierarchica, etiamsi, ob diversum eorum immediatum finem, modo distincto.[26]

Hoc efficit « affectum collegialem », uti vocatur, seu collegialitatem affectivam, ex qua effluit sollicitudo Episcoporum pro aliis Ecclesiis particularibus atque Ecclesia universali.[27] Si quidem asseverare oportet Episcopum numquam solum esse, quoniam ipse est semper coniunctus cum Patre per Filium in Spiritu Sancto, addendum quoque est eum numquam solum esse, eo quod iugiter constanterque coniunctus est suis cum fratribus in episcopatu et cum eo quem Dominus elegit veluti Petri Successorem.

Huiusmodi affectus collegialis efficitur et multipliciter exprimitur secundum diversos gradus, institutionum etiam instar, quales exempli gratia sunt Synodi Episcoporum, Concilia particularia, Conferentiae Episcoporum, Curia Romana, Visitationes *ad limina*, cooperatio missionalis, etc. Sed affectus collegialis absolute efficitur et exprimitur solummodo in actione collegiali stricto sensu sumpta, scilicet in actione omnium Episcoporum una cum Capite, quocum potestatem plenam et supremam exercent in universam Ecclesiam.[28]

Haec collegialis natura ministerii apostolici ex ipsius Christi voluntate oritur. Affectus ideo collegialis, seu *collegialitas affectiva*, semper viget inter Episcopos veluti *communio Episcoporum*, sed quibusdam tantum in actis exprimitur tamquam *collegialitas effectiva*. Varii modi conversionis huius collegialitatis affectivae in collegialitatem effectivam sunt humanae indolis, sed diversis in gradibus complent divinam exigentiam ut episcopatus collegiali modo exprimatur.[29] In Conciliis autem oecumenicis suprema episcopalis collegii in universam Ecclesiam potestas sollemniter exercetur.[30]

Collegialis sensus indolem universalitatis episcopatui tribuit. Potest igitur similitudo quaedam constitui inter Ecclesiam unam et universalem, ergo

[26] Cfr *Propositio* 20; Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 21; *Codex Iuris Canonici*, can. 375 § 2.

[27] Cfr Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 23; Decr. de pastorali Episcoporum munere in Ecclesia *Christus Dominus*, 3; 5; 6; Ioannes Paulus II, Litt. Ap. motu proprio datae *Apostolos suos* (21 Maii 1998), 13: *AAS* 90 (1998), 650-651.

[28] Cfr Ioannes Paulus II, Const. Ap. *Pastor bonus* (28 Iunii 1988), *Adnexum I*, 4: *AAS* 80 (1988) 914-915; Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 22; *Codex Iuris Canonici*, can. 337 §§ 1,2; *Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium*, can. 50 §§ 1,2.

[29] Cfr Ioannes Paulus II, *Allocutio* in conclusione VII Coetus Generalis Ordinarii Synodi Episcoporum (29 Octobris 1987), 4: *AAS* 80 (1988), 610; Const. Ap. *Pastor bonus*, *Adnexum I* (28 Iunii 1988): *AAS* 80 (1988), 915-916; Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 22.

[30] Cfr Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 22.

indivisam, et episcopatum unum et indivisum, ergo universalem. Principium et fundamentum huius unitatis, sive Ecclesiae sive Collegii Episcoporum, est Romanus Pontifex. Sicut enim docet Concilium Vaticanum II, « Collegium hoc quatenus ex multis compositum, varietatem et universalitatem populi Dei, quatenus vero sub uno capite collectum unitatem gregis Christi exprimit ».[31] Quapropter « Episcopatus unitas unum est ex elementis quibus Ecclesia constituitur ».[32]

Ecclesia universalis non est summa Ecclesiarum particularium neque earum foederatio, nec effectus earum communionis quoniam, secundum antiquorum Patrum et Liturgiae effata, in essentiali suo mysterio mundi creationem ipsam praecedit.[33] Sub luce huius doctrinae addere possumus illam mutuae interioritatis necessitudinem, quae viget inter Ecclesiam universalem et Ecclesias particulares, propter quam istae formantur « ad imaginem Ecclesiae universalis in quibus et ex quibus una et unica Ecclesia catholica exsistit »,[34] gigni in necessitudine inter Collegium episcopale ipsius in universalitate et unumquemque Episcopum. Quamobrem « Collegium Episcoporum veluti Episcoporum summa non est intellegendum, qui Ecclesiis particularibus praesident, neque eorum communionis effectus, at, ut proprium et necessarium Ecclesiae universalis elementum, quiddam est quod praecedit officium particulari in Ecclesia munus capitis sustinendi ».[35]

Hanc comparationem inter Ecclesiam universalem et Collegium Episcoporum melius possumus intellegere sub luce affirmationis Concilii Vaticani II: « Sic Apostoli fuerunt novi Israel germina simulque sacrae hierarchiae origo ».[36] In Apostolis, non singulariter consideratis, sed veluti collegium componentibus, structura continebatur Ecclesiae, quae in eis constituebatur in sua universalitate et unitate, atque Collegii Episcoporum, eorum successorum, signi huiusmodi universalitatis et unitatis.[37]

[31] *Ibid.*

[32] Ioannes Paulus II, Litt. Ap. motu proprio datae *Apostolos suos* (21 Maii 1998), 8: *AAS* 90 (1998), 647.

[33] Cfr Sacramentarium Iculismense, *In dedicatione basilicae novae*: « Dirige, Domine, Ecclesiam tuam dispensatione caelesti, ut, quae ante mundi principium in tua semper est praesentia praeparata, usque ad plenitudinem gloriamque promissam te moderante perveniat », *CCSL* 159 C, rubr. 1851; *Catechismus Catholicae Ecclesiae*, nn. 758-760; Congregatio pro Doctrina Fidei, Litt. *Communionis notio* (28 Maii 1992), 9: *AAS* 85 (1993), 843.

[34] Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 23.

[35] Ioannes Paulus II, Litt. Ap. motu proprio datae *Apostolos suos* (21 Maii 1998), 12: *AAS* 90 (1998), 649-650.

[36] Decr. de activitate missionali Ecclesiae *Ad gentes*, 5.

[37] Cfr Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 22.

Quam ob rem, «episcopalis Collegii in totam Ecclesiam potestas haud summa potestatum singulorum in eorum particulares Ecclesias Episcoporum constituitur; est enim aliquid antecedens quod singuli Episcopi participant, qui in universam Ecclesiam nisi collegialiter agere non possunt».[38] Hanc potestatem docendi et regendi Episcopi participant consociata voluntate et continenter eo quod membra sunt Ordinis episcopalis, in quo re vera persistit Collegium apostolicum.[39]

Sicut universalis Ecclesia est una et indivisibilis, ita et Collegium Episcoporum est «subiectum theologicum indivisibile», ideoque etiam potestas suprema, plena et universalis, cuius Collegium est subiectum, una est et indivisibilis — sicut personaliter est Romanus Pontifex. Eo sane quod Collegium Episcoporum praevia est res muneri capitis Ecclesiae particularis, multi sunt Episcopi qui, etiamsi munera exerceant stricte episcopalia, Ecclesiae particulari non praesunt.[40] Unusquisque Episcopus, semper coniunctus cum omnibus Fratribus in episcopatu cumque Romano Pontifice, partes agit Christi, Capitis et Pastoris Ecclesiae: eius agit partes non solum modo proprio et peculiari cum officium accipit cuiusdam Ecclesiae particularis pastoris, verum etiam cum navat operam adiutricem cum Episcopo dioecesano in Ecclesia regenda,[41] vel officium participat pastoris universalis quo Romanus Pontifex fungitur in universali Ecclesia gubernanda. Praeter formam propriam praesidendi cuidam Ecclesiae particulari, Ecclesia accepit alias quoque formas exercendi ministerium episcopale, quas historiae suae decursu hereditate habuit, veluti has Episcopi Auxiliaris vel Legati Romani Pontificis in Sanctae Sedis Officiis aut in Legationibus pontificiis; etiam hodie ipsa, ad normam iuris, admittit huiusmodi formas si necessitas obvenit.[42]

Indoles missionalis et unitas ministerii episcopalis

9. Evangelium secundum Lucam (cfr 6, 13) refert, Iesum Duodecim nominavisse *Apostolos*, quod ad litteram significat missos. In Evangelio secundum Marcum etiam legimus Iesum Duodecim constituisse etiam ut «mitteret eos praedicare» (3, 14). Hoc significat tam electionem quam constitu-

[38] Ioannes Paulus II, Litt. Ap. motu proprio datae *Apostolos suos* (21 Maii 1998), 12: *AAS* 90 (1998), 650.

[39] Cfr Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 22. Nota praevia ad Const. *Lumen gentium*, 1°.

[40] Cfr Ioannes Paulus II, Litt. Ap. motu proprio datae *Apostolos suos* (21 Maii 1998), 12: *AAS* 90 (1998), 649-650.

[41] Cfr Conc. Oecum. Vat. II, Decr. de pastorali Episcoporum munere in Ecclesia *Christus Dominus*, 25-26.

[42] Cfr *Propositio* 32.

tionem Duodecim tamquam Apostolorum ad missionem destinari. Prima eorum missio (cfr *Mt* 10, 5; *Mc* 6, 7; *Lc* 9, 1-2) plenitudinem suam invenit in missione, quam Iesus iis concredit post Resurrectionem, dum in caelum ascendit. Verba sunt quae omnem vim suam retinent: « Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi » (*Mt* 28, 18-20). Haec apostolica missio sollemnem suam confirmationem obtinuit Pentecostes die in effusione Spiritus Sancti.

In textu Evangelii secundum Matthaeum, quem modo rettulimus, totum pastorale ministerium haberi potest quasi delineatum secundum triplex munus docendi, sanctificandi et regendi. Respicimus hic reflexum quendam triplicis rationis ministerii et missionis Christi. Nos enim, uti christiani, atque modo qualitative novo ut sacerdotes, participamus missionem nostri Magistri, qui est Propheta, Sacerdos et Rex, et vocamur ut de eo in Ecclesia et in conspectu mundi peculiare perhibeamus testimonium.

Hoc *triplex munus* atque potestates quae ex eo manant, quoad modum agendi exprimunt *munus pastorale*, quod unusquisque Episcopus suscipit in episcopali consecratione. Ipse profecto Christi amor, qui participatur in consecratione, perficitur dum Evangelium spei omnibus gentibus proclamatur (cfr *Lc* 4, 16-19), dum sacramenta iis qui accipiunt salutem administrantur et dum populus sanctus ad vitam aeternam conducitur. Etenim de muneribus agitur inter se intime conexis, quae vicissim sese explanant, aptant et illuminant.[43]

Quapropter Episcopus sane cum docet, sanctificat simul et regit Populum Dei; dum sanctificat, docet etiam et regit; cum regit, docet et sanctificat. Sanctus Augustinus episcopalis huius muneris summam definit veluti *amoris officium*.[44] Hoc certitudinem praebet eo quod numquam in Ecclesia deficiet caritas pastoralis Iesu Christi.

« ... *vocavit ad se quos ipse voluit* » (*Mc* 3, 13)

10. Magna turba sequebatur Iesum, cum ipse statuit ascendere in montem et vocare ad se Apostolos. Multi erant discipuli, sed Ipse elegit ex eis tantum Duodecim ad Apostolorum peculiare munus (cfr *Mc* 3, 13-19). In

[43] Cfr Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 21, 27; Ioannes Paulus II, Ep. ad sacerdotes (8 Aprilis 1979), 3: *AAS* 71 (1979), 397.

[44] Cfr *In Io. Ev. tract.* 123,5: *PL* 35, 1967.

Synodali Aula saepe resonabat effatum S. Augustini: « Vobis enim sum Episcopus, vobiscum sum christianus ».[45]

Sicuti donum Spiritus Ecclesiae datum, Episcopus, ante omnia et sicut omnis alius christianus, est filius et membrum Ecclesiae. A Sancta hac Matre ipse accepit donum vitae divinae in sacramento Baptismatis primamque fidei institutionem. Cunctis cum aliis fidelibus ipse communicat insuperabilem dignitatem filii Dei, vivendam in communione inque spiritu gratae fraternitatis. Alioquin, vi plenitudinis sacramenti Ordinis, Episcopus est etiam fidelium magister, sanctificator et pastor, mandatum habens agendi nomine et persona Christi.

Agitur videlicet de duobus relationibus non simpliciter sibi admotis, sed potius inter se vicissim et profunde conexis, ordinatis sicut sunt altera alteri, quoniam utraque vim haurit ex divitiis Christi, unici et summi sacerdotis. Episcopus fit « pater » eo ipso quod est plane « filius » Ecclesiae. Hoc necessitudinem denuo proponit inter commune fidelium sacerdotium et sacerdotium ministeriale: qui sunt duo modi participandi unicum Christi sacerdotium, in quo duo adsunt aspectus qui coniunguntur supremo in actu sacrificii crucis.

Hoc repercutitur in necessitudinem quae in Ecclesia viget inter sacerdotium commune et sacerdotium ministeriale. Licet essentia differant, ad invicem tamen ordinantur:[46] quod quandam vicissitudinem efficit quae concorditer struit vitam Ecclesiae velut locum ubi in hominum historia perficitur salus a Christo peracta. Huiusmodi vicissitudo invenitur in ipsa Episcopi persona, qui est atque manet baptizatus, atque in summo sacerdotio constitutus. Haec altissima veritas Episcopi est fundamentum eius rei qua « est inter » alios fideles et « coram » eis exstat.

Concilium Vaticanum II hoc memorat in pulcherrimo loco: « Si igitur in Ecclesia non omnes eadem via incedunt, omnes tamen ad sanctitatem vocantur et coaequalem sortiti sunt fidem in iustitia Dei (cfr *2 Pe* 1, 1). Etsi quidam ex voluntate Christi ut doctores, mysteriorum dispensatores et pastores pro aliis constituuntur, vera tamen inter omnes viget aequalitas quoad dignitatem et actionem cunctis fidelibus communem circa aedificationem Corporis Christi. Distinctio enim quam Dominus posuit inter sacros ministros et reliquum populum Dei, secum fert coniunctionem, cum pastores et alii fideles inter se communi necessitudine devinciantur; Ecclesiae pastores, exemplum Domini secuti, sibi invicem aliisque fidelibus ministrent, hi autem alacriter pastoribus et doctoribus sociam operam praestent ».[47]

[45] *Sermo* 340,1: *PL* 38, 1483.
[46] Cfr Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 10.
[47] *Ibid.*, 32.

Pastorale ministerium in consecratione susceptum, quod Episcopum ponit « coram » aliis fidelibus, exprimitur in « esse pro » ipsis, quod eum non eximit ex illius « esse cum » eis. Hoc viget sive ad personalem sanctificationem, quod attinet, quaerendam perficiendamque in exercitio eius ministerii, sive quod spectat ad modum exsequendi ipsum ministerium omnibus in muneribus in quibus illud expletur.

Vicissitudo quae est inter sacerdotium commune fidelium et sacerdotium ministeriale, et quae invenitur in ipso episcopali ministerio, manifestatur in specie « motus circularis » inter duas formas sacerdotii: motus circularis inter fidei testimonium omnium fidelium et testimonium authenticae Episcopi fidei in actibus eius magisterii; motus circularis inter sanctam fidelium vitam et sanctificationis instrumenta quae iis praebet Episcopus; motus circularis denique inter personalia munera Episcopi quoad Ecclesiae ei concreditae bonum et communia omnium fidelium officia quoad eiusdem bonum.

Caput II

DE SPIRITALI EPISCOPI VITA

« *Et fecit Duodecim, ut essent cum illo* » (*Mc* 3, 14)

11. Eadem dilectione qua Apostolos sua voluntate constituit, Duodecim vocat Iesus, ut suam communicet cum iis vitam. Hic quoque convictus, qui animorum voluntatumque cum Eo communionem secum fert, ipsius missione participata postulatur. Episcopi officia contrahi non debent in merum rerum instituendarum munus. Hoc ad vitandum periculum, sive praeparatoria Synodi documenta, sive complures in Aula Patrum synodalium sermones id extulerunt quod secum importat, in personali Episcopi vita inque exercitio ministerii ei commisso, episcopatus natura tamquam Ordinis sacramenti plenitudo, in propriis theologicis, christologicis pneumatologicisque fundamentis.

Obiectivae sanctificationi, quae Christi opera in Sacramento habetur per Spiritus communicationem, subiectiva sanctitas respondere debet, in qua Episcopus, gratia suffultus, magis magisque per ministerii exercitium progredi debet. Ontologica commutatio, quam consecratio effecit, tamquam Christo conformatio, quendam postulat modum videndi, qui ostendat illud « cum eo esse ». Saepenumero itaque in Synodi Aula pastoralis caritas est elata, tamquam fructus cum characteris impressi sacramenti tum gratiae ei propriae.

Caritas, quemadmodum dictum est, Episcopi ministerii est veluti anima, qui dynamica quadam vi involvitur, *pro exsistentia* scilicet pastorali, qua ad vivendum compellitur ut Christus Bonus Pastor *pro* Patre ac *pro* aliis, in cotidiana sui donatione.

In exercitio proprii ministerii potissimum, quod Boni Pastoris caritatem imitando explicat, Episcopus ad se aliosque sanctificandos vocatur, ob oculos tamquam principium habens, ut coniungat Christi vultus contemplationem ac simul salutis Evangelii nuntium.[48] Itaque eius spiritalis vita non solum ex Baptismi Confirmationisque sacramento, verum etiam ex ipsa episcopali Ordinatione consilia trahit et incitamenta, quae in fide spe et caritate proprium Evangelii praeconis, liturgici fautoris et communitatis ductoris ad explicandum ministerium eum cogit. Tunc erit illa Episcopi *ecclesialis spiritalitas*, quandoquidem omnia in eius vita ad Sanctam Ecclesiam peramanter aedificandam convertuntur.

Id in Episcopo servitii habitum secum fert, qui animi firmitudine, apostolica virtute et confidenti interius Spiritui agenti deditione imbuitur. Ipse ideo vivendi rationem sibi imponet, quae Christi servi, pauperis et humilis *kenosin* imitetur, ita ut ministerii pastoralis exercitium in eo quasi sit congrua imago Iesu, Dei Servi, eumque omnibus, cum maximis tum minimis esse proximum cogat. In summa quadam iterum reciprocatione ministerii exercitium fidele amabileque Episcopum sanctificat eumque subiective ad ontologicas sanctitatis divitias conformat, quas in ipso posuit Sacramentum.

Attamen Episcopi sanctitas personalis haudquaquam subiective manet, quoniam efficaciter in fidelium beneficium usque cedit, eiusdem curae commissorum. In caritatis exercitio, quod ad pastorale susceptum ministerium attinet, fit signum Christi Episcopus ipseque illam obtinet moralem auctoritatem, qua iuridicae auctoritatis exercitium indiget ut efficaciter communitatem afficere possit. Etenim si episcopale munus in sanctitatis testificatione, quae in pastorali caritate, humilitate vitaeque simplicitate manifestatur, non innititur, eo evadet ut solummodo fere sit functionale officium et apud Clerum fidelesque necessario amittat fidem.

Nostrae aetatis in Ecclesia ad sanctitatem vocatio

12. Ad Episcopi figuram, qui Dei amicus, pastor populique ductor est, collustrandam, biblica imago perquam apta videtur. Moysis scilicet est figura. Eum respiciens, invitamentum excipere potest Episcopus ut sit atque

[48] Cfr *Propositio* 8.

operetur sicut pastor, qui a Domino electus ac missus est, quique animosus ad terram promissam versus populum suum praegreditur, fidelis verbi legisque Dei viventis interpres, Foederis mediator, ardens et precatione confidens pro sua gente. Sicut Moyses, qui, postquam cum Domino apud sanctum montem collocutus est, ad suum populum facie fulgida rediit (cfr *Ex* 34, 29-30), Episcopus quoque indicia suae naturae patris, fratris amicique ad fratres deferre poterit tantummodo si in nubem obscuram fulgentemque Patris, Filii et Spiritus Sancti mysterii intraverit. Trinitatis fulgore illuminatus, signum ille evadet bonitatis misericordis Patris, vivae imaginis Filii caritatis, perlucidi viri Spiritus, qui consecratur et mittitur ut Dei Populus in temporis semitis ad aeternitatem peregrinans ducatur.

Synodales Patres spiritalis officii momentum in lucem protulerunt, quod Episcopi vitam, ministerium iterque respicit. Nos Ipsi hasce primas partes demonstravimus congruentes esse cum vitae Ecclesiae necessitatibus ac Spiritus Sancti appellatione, qui annis his gratiae primatum, pervulgatam spiritalis vitae exigentiam, sanctitatis testificandae necessitatem omnibus significavit.

Quod spiritalis vitae nunc fit mentio, haec oritur ex Spiritus Sancti in historia salutis agentis significatione. Eius praesentia est operosa, dynamica, prophetica et missionalis. Spiritus Sancti plenitudinis donum, quod Episcopus in sua Ordinatione recipit, pretiosa atque impellens est monitio, ad eius sequendam actionem in ecclesiali communitate universalique missione.

Synodalis Congressio, post Magnum Iubilaeum anni MM celebrata, inde ab initio vitae sancte agendae propositum sibi vindicavit, quod Nos universae Ecclesiae indicavimus, adfirmantes: « Visionem rerum illam, in qua collocari debet totum pastorale iter, esse sanctitatem... Absoluto itaque Iubilaeo, communis iam repetitur semita; at necessitas restat pastoralis magis quam antehac sanctitatem efferre ».[49] Studiose alacriterque Nostram appellationem accipiendi atque in principali loco ad sanctitatem vocationem collocandi hic fuit animus, quo synodale opus est peractum et haec fuit condicio, quae quodammodo sermones animadversionesque Patrum in unum redegit. Ii sancti Gregorii Nazianzeni monitum suis in cordibus resonare sentiebant: « Purgari prius oportet, deinde purgare; sapientia instrui, atque ita demum alios sapientia instruere; lux fieri, et alios illuminare; ad Deum appropinquare, et ita alios adducere; sanctificari, et postea sanctificare ».[50]

[49] Ep. Ap. *Novo millennio ineunte* (6 Ianuarii 2001), 30: *AAS* 93 (2001), 287.
[50] *Oratio II*, n. 71: PG 35, 479.

Hanc propter rationem ex synodali Congressione frequens invitamentum est ortum ut peculiaritas significaretur « episcopalis » itineris Episcopi ad sanctitatem. Usque agetur de sanctitate quae cum populo et pro populo vivitur, in quadam videlicet communione, quae incitatio fit et mutua in caritate aedificatio. Nec de secundariis ac supervacaneis postulationibus agitur. Per ipsam enim Episcopi spiritalem vitam eius pastoralis operae fecunditas iuvari potest. Nonne in assidua Christi mysterii meditatione, flagranti eius Vultus in contemplatione, studiosa in vitae Boni Pastoris imitatione fundamentum reperitur cuiusque efficacis pastoralis operae? Si quidem verum est nostram aetatem perpetuo moveri ac saepenumero agitari, dum est periculum ne quidam « faciant solummodo ut faciant », tunc Episcopus primus suae vitae exemplo ostendere debet primatum « exsistentiae prae actionibus » esse instaurandum et, immo magis, *gratiae primatum*, quae, christiana vitae habita ratione, est etiam essentiale principium ad ministerii pastoralis « rerum agendarum » consilia capienda.[51]

Spiritale Episcopi iter

13. Episcopus se putare reapse potest communionis speique pro populo sancto Dei ministrum tantummodo cum coram Domino ambulat. Serviri namque hominibus non potest, nisi antea « Deo servitur ». Dei servi esse non possunt nisi qui « homines Dei » sunt. Quapropter in homilia initium facientes Synodi sumus effati: « Pastor esse debet homo Dei; eius exsistentia ac ministerium omnino eius divinae gloriae subsunt atque ex supereminenti Dei mysterio lucem hauriunt et vigorem ».[52]

Ad sanctitatem vocatio Episcopi in ipso reperitur sacramentali eventu, episcopali scilicet Ordinatione, unde eius ministerium oritur. Antiqua *Serapionis Euchologia* verbis his ritualem consecrationis invocationem describit: « Fac, Deus veritatis, et hunc Episcopum vivum, Episcopum sanctum successionis sanctorum Apostolorum ».[53] Cum tamen episcopalis Ordinatio perfectam virtutem haud tribuat, « Episcopus suum iter ad alacrius producendum vocatur, ut ad Christi, Hominis perfecti, mensuram perveniat ».[54]

[51] Cfr Ioannes Paulus II, Ep. Ap. *Novo millennio ineunte* (6 Ianuarii 2001), 15. 31: *AAS* 93 (2001), 276. 288.

[52] N. 5: *AAS* 94 (2002), 111.

[53] *Sacramentarium Serapionis*, 28; ed. F.X . Funk, II, 191.

[54] Ioannes Paulus II, *Homilia* initii X Coetus Generalis Ordinarii Synodi Episcoporum (30 Septembris 2001), 5: *AAS* 94 (2002), 111.

Eadem christologica trinitariaque natura ipsius mysterii ministeriique sanctitatis iter ex Episcopo requirit, quod continuatum ad altiorem usque spiritalem apostolicamque maturitatem progressum secum fert, quae pastoralis caritatis primatu distinguitur. Iter est, quod eius cum populo, ut patet, suscipitur, quodque est personale ac simul commune, sicut vita Ecclesiae est. In hoc tamen itinere, in intima cum Christo communione sedulaque erga Spiritum Sanctum obsequentia, exemplar, auctor ac fautor fit Episcopus. Idem canonica lex enuntiat: « Episcopus dioecesanus, cum memor sit se obligatione teneri exemplum sanctitatis praebendi in caritate, humilitate et vitae simplicitate, omni ope promovere studeat sanctitatem christifidelium secundum uniuscuiusque propriam vocationem atque, cum sit praecipuus mysteriorum Dei dispensator, iugiter annitatur ut christifideles suae curae commissi sacramentorum celebratione in gratia crescant utque paschale mysterium cognoscant et vivant ».[55]

Spiritale Episcopi iter, sicuti pariter illud cuiusque fidelis procul dubio radicem in sacramentali Baptismi Confirmationisque gratia habet. Gratia haec omnibus fidelibus eum aequat, quoniam, quemadmodum significat Concilium Vaticanum II, « omnes christifideles cuiusque status vel ordinis ad vitae christianae plenitudinem et caritatis perfectionem »[56] vocantur. Quo potissimum in casu sancti Augustini sententia praestat, quae realismo ac supernaturali sapientia excellit: « Ubi me terret, quod vobis sum, ibi me consolatur, quod vobiscum sum. Vobis enim sum Episcopus, vobiscum sum christianus. Illud est nomen suscepti officii, hoc gratiae; illud periculi est, hoc salutis ».[57] Attamen, per pastoralem caritatem, munus fit servitium, atque periculum in incrementi maturitatisque opportunitatem vertitur. Ministerium episcopale non modo sanctitatis est in aliorum beneficium fons, verum iam est sanctificationis causa ei qui suum per cor suamque vitam Dei caritatem transire sinit.

Synodales Patres huius itineris quasdam necessitates breviter perstrinxerunt. In primis Baptismi Confirmationisque characterem commemoraverunt, qui usque a principio christianae vitae, virtutum theologarum ope, copiam dat in Deo credendi, in Eo sperandi Eumque amandi. Spiritus Sanctus sua ex parte dona infundit, adiuvans ut incrementum habeatur per moralium virtutum exercitium, quae etiam sub respectu humano reddunt concretam spiri-

[55] *Codex Iuris Canonici*, can. 387; cfr *Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium*, can. 197.
[56] Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 40.
[57] *Sermo* 340, 1: *PL* 38, 1483.

talem vitam.[58] Baptismi recepti vi, quemadmodum singuli christiani, Episcopus spiritalem vitam communicat, quae in incorporatione ad Christum radicibus defigitur quaeque in eius sequela secundum Evangelium manifestatur. Hanc ob rationem omnium fidelium vocationem ad sanctitatem ipse participat. Colere idcirco precationis altaeque fidei vitam atque in Deo omnem suam fiduciam collocare debet, suam erga Evangelium exhibens testificationem, iis simul obtemperans quae Spiritus Sanctus suadet ac peculiari filialique cultu Virginem Mariam prosequens, quae perfecta est spiritalis vitae magistra.[59]

Episcopi ideo spiritalis vita erit communionis, quam una cum ceteris baptizatis experitur, qui simul cum eo filii sunt unius in caelis Patris et unius in terra Matris, Sanctae scilicet Ecclesiae. Aeque ac in Christo credentes spiritalem suam vitam ipse alere debet, vivo efficacique se pascens Evangelii verbo ac sacrae Eucharistiae vitae pane, vitae aeternae videlicet cibo. Humanam propter infirmitatem Episcopo quoque frequenter et certis temporibus ad Paenitentiae sacramentum erit accedendum, ut misericordiae illius donum obtineat, cuius etiam est minister. Conscius itaque suae humanae imbecillitatis suorumque peccatorum, quisque Episcopus, una cum suis sacerdotibus, primum pro se Reconciliationis sacramentum experitur, veluti gravem necessitatem gratiamque usque denuoque exspectatam, ut in ministerii exercitio voluntas sanctificandi iterum incitetur. Hac quidem etiam aspectabili ratione alicuius Ecclesiae in se ipsa Sanctae ipse significat mysterium, quae simul peccatoribus constituitur qui necesse habent ut sibi ignoscatur.

Perinde ac omnes sacerdotes, at peculiariter, ut liquet, cum sacerdotibus dioecesis presbyteratus coniunctus, praecipuam spiritalis vitae viam calcare studebit Episcopus. Ipse namque etiam propter novum titulum, qui ex sacro Ordine oritur, ad sanctitatem vocatur. Ex fide ideo, spe et caritate vivit Episcopus, quippe qui sit Domini verbi, sanctificationis Deique populi spiritalis progressus minister. Sanctus ipse debet esse, quoniam magister, sanctificator ac dux Ecclesiae debet inservire. Qua talis debet ille insigniter vehementerque Ecclesiam diligere. Quisque Episcopus Christo conformatur, ut Ecclesiam sponsali Christi amore diligat atque in Ecclesia minister sit eius unitatis, ut Ecclesia fiat « de unitate Patris et Filii et Spiritus Sancti plebs adunata ».[60]

[58] Cfr *Catechismus Catholicae Ecclesiae*, 1804. 1839.

[59] Cfr *Propositio* 7.

[60] S. Cyprianus, *De oratione dominica*, 23: *PL* 4, 535; cfr Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 4.

Peculiaris Episcopi spiritalis vita — quod subinde confirmarunt synodales Patres — gratia ultra cumulatur, quae in sacerdotii plenitudine inest, ipsi Ordinationis tempore attributa. Sicut gregis pastor et Iesu Christi Evangelii in spe servus, Episcopus referre ac paene in se ipsam Christi, supremi Pastoris, personam liquido ostendere debet. In Pontificali Romano officium hoc palam enuntiatur: « Accipe mitram atque in te sanctitatis fulgor splendeat, ut cum Princeps pastorum apparebit immarcescibilem coronam gloriae mereri possis ».[61]

Quocirca Episcopus Dei gratia continenter indiget, quae ipsius humanam naturam roboret eandemque ad perfectionem adducat. Cum Paulo apostolo potest is edicere: « Sufficientia nostra ex Deo est, qui et idoneos nos fecit ministros Novi Testamenti » (*2 Cor* 3, 5-6). Id igitur maiore vi exprimi debet: apostolicum ministerium fons est Episcopo spiritalis vitae, ex quo omnia cetera spiritalia alimenta depromere debet, quae efficiunt ut in sanctitate crescat quaeque ipsi dant copiam Spiritus Sancti in populo actionem detegendi, qui eorum sollicitudini committitur.[62]

Spiritale Episcopi iter, hoc in rerum prospectu, pastorali ipsi caritati aequatur, quae iure meritoque veluti anima putanda est cum eius, tum pariter presbyteri et diaconi apostolatus. Non modo agitur de *exsistentia,* sed etiam *pro-exsistentia,* de ratione scilicet vivendi, quae supremum exemplar adhibet Christum Dominum, ideoque ad adorandum Patrem fratribusque inserviendum totum se tradit. Merito igitur hac de re Concilium Vaticanum II asserit Pastoribus, ad Christi effigiem, sanctitate studioque, humilitate fortitudineque ministerium esse gerendum, « quod ita adimpletum, etiam pro eis erit praecelsum sanctificationis medium ».[63] Nullus Episcopus ignorare potest sanctitatis verticem esse Christum Cruci affixum, in eius suprema donatione Patri fratribusque facta in Spiritu Sancto. Quapropter Christo configuratio eiusque passionis participatio (cfr *1 Pe* 4, 13) regalis Episcopi eius inter populum sanctitatis fit via.

Maria, spei Mater magistraque spiritalis vitae

14. Spiritalis vitae subsidium etiam Episcopo materna erit praesentia Virginis Mariae, quae est *Mater spei et spes nostra*, quemadmodum eam invocat Ecclesia. Itaque Mariam germana atque filiali devotione Episcopus prosequitur, sentiens se vocari ad illud *fiat* sibi sumendum, ut teneatur et cotidie

[61] *Ritus Ordinationis Episcopi*: Mitrae traditio.

[62] Cfr *Propositio* 7.

[63] Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 41.

perficiatur commendatio illa, quam fecit Iesus Mariae, quae iuxta crucem stabat, quaeque Discipulo commissa est ac Discipulus dilectus vicissim Mariae (cfr *Io* 19, 26-27). Episcopus pariter vocatur ad se referendum in concordem perseverantemque precationem discipulorum apostolorumque Filii una cum ipsius Matre, cum ad Pentecosten se componebant. In hac Ecclesiae nascentis effigie inexplicabile inter Mariam et Apostolorum successores manifestatur vinculum (cfr *Act* 1, 14).

Quocirca sancta Dei Mater Episcopo erit magistra audiendi Deique Verbi alacriter perficiendi, in fideli discipuli condicione erga unum Magistrum, in fidei firmitate, in fiduciali spe flagrantique caritate. Perinde ac Maria, quae est « memoria » Incarnationis Verbi apud primigenam christianam communitatem, Episcopus erit custos et viventis Ecclesiae Traditionis mediator, omnium ceterorum Episcoporum in communione, coniunctus cum Petri Successore eiusque auctoritati obnoxius.

Solida Marialis Episcopi devotio continenter ad sacram Liturgiam refertur, ubi in salutis mysteriis celebrandis peculiarem praesentiam obtinet Virgo ipsaque universae Ecclesiae precandi, audiendi, offerendi itemque spiritalis maternitatis eximium est exemplar. Immo Episcopi erit efficere ut Liturgia usque appareat « ut "exemplaris forma", inspirationis fons, perpetuum propositum ultimaque meta pro Mariali pietate Dei populi propria ».[64] Hoc firmato principio, Episcopus quoque suam Marialem pietatem tam personalem quam cum aliis sociatam piis exercitiis colet, quae ab Ecclesia comprobantur et commendantur, praesertim per precationem illam Sancti Rosarii, quod est Evangelii compendium. In hac precatione expertus, quae tota in salutis vitae Christi eventibus contemplandis, quibus eius sancta Mater coniuncta fuit, consistit, quisque Episcopus ad id sollerter promovendum invitatur.[65]

Verbo se committere

15. Synodi Episcoporum Coetus quaedam necessaria subsidia ostendit, quibus spiritalis vita aleretur ac promoveretur.[66] Ex his lectio ac Verbi Dei meditatio principem obtinent locum. Quisque Episcopus debebit se committere seseque commissum animadvertere « Deo et verbo gratiae ipsius, qui

[64] Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, *Direttorio su pietà popolare e liturgia. Principi e orientamenti* (17 Decembris 2001), 184: Città del Vaticano, 2002, p. 154.

[65] Cfr Ioannes Paulus II, Ep. Ap. *Rosarium Virginis Maria*e (16 Octobris 2002), 43*: AAS* 95 (2003), 35-36.

[66] Cfr *Propositio* 8.

potens est aedificare et dare hereditatem in sanctificatis omnibus» (*Act* 20, 32). Quapropter antequam est Verbi praeco Episcopus, una cum suis sacerdotibus et sicut quisque fidelis, immo sicut ipsa Ecclesia,[67] Verbi debet esse auditor. Immo veluti interius Verbum incolere debet, ut ipso veluti matris gremio custodiatur et alatur. Una cum sancto Ignatio Antiocheno Episcopus etiam repetit: confugio «ad Evangelium tamquam ad corporaliter praesentem Christum».[68] Itaque quisque Episcopus illam sancti Hieronymi pervulgatam monitionem ante oculos habebit, quam iteravit etiam Concilium Vaticanum II: «Ignoratio scripturarum ignoratio Christi est».[69] Haud enim sanctitatis primatus exstat sine Verbi Dei auditione, quod sanctitatis est dux et alimentum.

Cum quis Dei Verbo se committit idque custodit, quemadmodum Virgo Maria fecit, *Virgo audiens*,[70] id secum fert, ut re quaedam adhibeantur auxilia, quae usque suppeditarunt Ecclesiae traditio ac spiritalis experientia. Agitur ante omnia de crebra personalique Sacrorum Bibliorum lectione eorundemque attento assiduoque studio. Inanis esset Episcopus foris Verbi praedicator, nisi antehac esset intus auditor.[71] Sine Sacrae Scripturae consuetudine, inefficax quoque est spei minister Episcopus, si quidem, sicut commemorat sanctus Paulus, «per patientiam et consolationem Scripturarum spem» (*Rom* 15, 4) habemus. Semper igitur valet quod Origenes scripsit: «Haec duo sunt pontificis opera, ut aut a Deo discat legendo Scripturas divinas, et saepius meditando, aut populum doceat. Sed illa doceat, quae ipse a Deo didicerit».[72]

In Pastorum vita ipsoque eorundem pro communitate ministerio Dei Verbi *lectionis* et *meditationis* confirmavit pondus Synodus. Sicut in Epistula Apostolica *Novo millennio ineunte* scripsimus: «Convenit ante omnia ut Verbi auditio fiat vitalis congressio, secundum vetustam semperque validam *lectionis divinae* traditionem, quae biblicis ex sententiis sinit vivam colligere vocem quae nos appellat, ordinat, in tota exsistentia conformat».[73] In meditationis et *lectionis* momentis, cor, quod iam Verbum excepit, ad Dei agentis contemplationem recluditur ideoque ad cogitationes vitamque ad eum convertendas, supplici addita postulatione eius veniae atque gratiae.

[67] Cfr Paulus VI, Adhort. Ap. *Evangelii nuntiandi* (8 Decembris 1975), 59: *AAS* 68 (1976), 50.

[68] *Ad Philadelphienses* 5: *PG* 5, 700.

[69] *Comm. in Is.* Prol.: *PL* 24, 17; cfr Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Divina Revelatione *Dei Verbum*, 25.

[70] Cfr Paulus VI, Adhort. Ap. *Marialis cultus* (2 Februarii 1974), 17: *AAS* 66 (1974), 128.

[71] Cfr S. Augustinus, *Sermo* 179,1: *PL* 38, 966.

[72] *In Lev. hom.* VI: *PG* 12, 474 C.

[73] N. 39: *AAS* (2001), 294.

Sacra Eucharistia sustentari

16. Perinde ac paschale praeterea mysterium vitae Bonique Pastoris missionis medium occupat locum, sic Eucharistia quoque vitae Episcopique missionis, aeque ac cuiusque sacerdotis, principalem tenet locum. Cotidianam per Sanctae Missae celebrationem una cum Christo offert se ipse. Cum autem celebratio haec in Cathedrali templo fit ceterisque templis, paroecialibus potissimum, concurrentibus impigreque participantibus fidelibus, apparet Episcopus ut est, scilicet *Sacerdos et Pontifex*, quia in Christi persona eiusque Spiritus potentia agit, atque veluti *hiereus*, sanctus sacerdos, altaris sacris mysteriis patrandis detinetur, quae praedicatione nuntiat ac declarat.[74]

Episcopi in sacram Eucharistiam amor manifestatur item cum, progrediente die, etiam satis longum tempus adorationi coram Tabernaculo impertit. Hic suum Domino reserat animum, ut totus pervadatur eaque caritate informetur, quae in Cruce a magno ovium Pastore effunditur, qui pro eis suum sanguinem profudit suamque vitam tradidit. Suam ei quoque orationem elevat, pro ovibus deprecans sibi commissis.

Precatio Horarumque Liturgia

17. Alterum a synodalibus Patribus significatum instrumentum est precatio, potissimum ea quae ad Dominum elevatur per Horarum Liturgiae celebrationem, quae praecipua et perennis est christianae communitatis precatio, Christi nomine ac Spiritu Sancto duce peracta.

Precatio per se ipsa peculiare est Episcopi officium eorumque « qui vocationis receperunt donum ad peculiaris consecrationis vitam, quae suapte natura paratiores eos efficit ad contemplativam experientiam ».[75] Episcopus ipse se successorem esse Apostolorum oblivisci non potest, qui prae ceteris a Christo constituti sunt « ut essent cum illo » (*Mc* 2, 14), quique cum missionis ipsis concreditae initium fecerunt id sollemniter declaraverunt, quod quoddam totius vitae est propositum: « Nos vero orationi et ministerio verbi instantes erimus » (*Act* 6, 4). Episcopus idcirco fidelibus dumtaxat magister erit precationis, si personali dialogi cum Deo experientia niti poterit. Singulis momentis ei Psalmistae verba sunt usurpanda: « In verbum tuum supersperavi » (*Ps* 119[118], 114). Ex precibus ipsis eam hauriet spem, qua fere inficere

[74] Cfr Pseudo-Dionysius Areopagita, *De Ecclesiastica Hierarchia*, III: *PG* 3, 513; S. Thomas Aquinas, *S. Th.* II-II, q. 184, a. 5.

[75] Ioannes Paulus II, Ep. Ap. *Novo millennio ineunte* (6 Ianuarii 2001), 34: *AAS* 93 (2001), 290.

debet fideles. Nam precatio locus est insignis ubi exprimitur et spes alitur, quandoquidem ipsa, ad sancti Thomae Aquinatis sententiam, est « interpres spei ».[76]

Personalis Episcopi precatio specialissima ratione erit insigniter « apostolica » precatio, Patri scilicet oblata veluti pro qualibet ei commendati populi necessitate facta deprecatio. In Pontificali Romano hoc est novissimum electi Episcopi officium, antequam manus imponuntur: « Vis Deum omnipotentem pro populo sancto indesinenter orare et sine reprehensione summi sacerdotii munus explere? ».[77] Perquam speciali modo pro suorum sacerdotum sanctitate, pro vocationibus ad ministerium ordinatum vitamque consecratam orat Episcopus, ut magis ac magis in Ecclesia exardescat missionale apostolicumque studium.

Quod autem ad *Liturgiam Horarum* attinet, quae ad consecrandum et ordinandum totum diei cursum per Dei laudem destinatur, quidni insignes commemoremus Concilii Vaticani II sententias? « Cum vero mirabile illud laudis canticum rite peragunt sacerdotes aliique ad hanc rem Ecclesiae instituto deputati vel christifideles una cum sacerdote forma probata orantes, tunc vere vox est ipsius Sponsae, quae Sponsum alloquitur, immo etiam oratio Christi cum ipsius Corpore ad Patrem. Omnes proinde qui haec praestant, tum Ecclesiae officium explent, tum summum Sponsae Christi honorem participant, quia laudes Deo persolventes stant ante thronum Dei nomine Matris Ecclesiae ».[78] Cum Divini de Officii oratione scriberet Decessor Noster, recolendae memoriae, Paulus VI asseveravit ipsam esse « Ecclesiae localis precationem », quae « veram Ecclesiae orantis naturam exprimit ».[79] In *consecratione temporis*, quam *Liturgia Horarum* efficit, illa *laus perennis* perficitur, quae praevertit et caelestem Liturgiam praefigurat, unitatis vinculum cum angelis sanctisque qui in aeternum Dei nomen clarificant. Tantum igitur Episcopus se spei virum ostendit et efficit, quantum in eschatologicam vim motionemque se insinuat Psalterii orationis. In Psalmis *Vox sponsae* personat, quae Sponsum invocat.

Quapropter quisque Episcopus suo *cum* populo orat oratque suo *pro* populo. Ipse autem suorum sacerdotum, diaconorum, vitae consecratae personarum necnon fidelium laicorum cuiusque aetatis precibus aedificatur atque iuvatur. Inter illos educator precationisque fautor est Episcopus. Non modo

[76] *S. Th.* II-II, q. 17, a. 2.

[77] *Ritus Ordinationis Episcopi:* Electi officia.

[78] Const. de sacra Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, 84-85.

[79] Const. Ap. *Laudis canticum* (1 Novembris 1970): *AAS* 63 (1971), 532.

quae is est contemplatus transmittit, sed christianis ipsam contemplationis viam reserat. Pervulgata sententia illa *contemplata aliis tradere*, fit ideo *contemplationem aliis tradere*.

Evangelicorum consiliorum beatitudinumque via

18. Suis universis discipulis, iis potissimum qui per terrestrem vitam eum propius Apostolorum instar sequi volunt consiliorum evangelicorum viam exhibet Dominus. Praeter Ecclesiae Trinitatis donum, consilia in credentes trinitariam vitam remittunt.[80] Quae peculiari modo in Episcopo efficiuntur, qui, ut Apostolorum successor, ad Christum sequendum in semita perfectionis caritatis vocatur. Quapropter is consecratur sicuti Iesus consecratur. Eius vita ex Eo funditus pendet atque pro Ecclesia mundoque omni est tamquam Eius aspectabilis figura. In Episcopi vita Iesu vita splendere debet ideoque eius Patri oboedientia « usque ad mortem, mortem autem crucis » (*Philp* 2, 8), eius castus virgineusque amor, eius paupertas quae coram terrestribus bonis absoluta est libertas.

Hac nimirum ratione moderari possunt Episcopi suo exemplo non modo eos qui in Ecclesia in vita consecrata ad Christi sequelam sunt vocati, verum presbyteros etiam, quibus quoque sanctitatis radicalismus, ut ita dicamus, ad evangelicorum consiliorum rationem proponitur. Ceterum talis radicalismus omnes fideles complectitur, laicos quoque, quoniam « exigentia fundamentalis evadit neque abdicanda, cum ab Ipsius Christi invitatione proveniat Eum sequendi et imitandi, vi artioris communionis cum Illo, quam Spiritus operatur ».[81]

In Episcopi denique vultu contemplari posse qualitates debent fideles, quae gratiae sunt donum quaeque in Beatitudinibus ipsius Christi fere sunt effigies: id est vultus paupertatis, lenitatis et iustitiae studii; vultus misericors Patris atque viri pacifici et pacificatoris, pacis aedificatoris; castimoniae vultus illius, qui perpetuo uniceque Deum contuetur. Fideles cernere suo in Episcopo debent posse etiam vultum illius qui Christi in maerentes misericordiam experitur atque nonnumquam, sicut in historia usu venit et adhuc hodie contigit, vultum fortitudinis interiorisque laetitiae plenum illius, qui propter Evangelii veritatem persecutionem patitur.

[80] Cfr Ioannes Paulus II, Adhort. Ap. post-synodalis *Vita consecrata* (25 Martii 1996), 20-21: *AAS* 88 (1996), 393-395.

[81] Ioannes Paulus II, Adhort. Ap. post-synodalis *Pastores dabo vobis* (25 Martii 1992), 27: *AAS* 84 (1992), 701.

Oboedientiae virtus

19. Lineamenta haec Iesu humanissima in se ferens, exemplar quoque ac fautor spiritalis vitae communionis fit Episcopus, vigili sollicitudine ad Ecclesiam aedificandam intentae, ita ut omnia, cum verba tum opera, sub signo trinitarii communionis dynamismi agantur, quae communis est filialis subiectio in Christo et Spiritu sub Patris amabili consilio. Sicut enim magister sanctificationisque sui populi minister Episcopus ad Patris voluntatem fideliter adimplendam vocatur. Episcopi oboedientia tenenda est tamquam exemplar — nec aliter fieri potest — habita ob oculos Christi oboedientia, qui saepenumero dixit se ex caelo descendisse non ut faceret voluntatem suam sed voluntatem eius, qui eum misit (cfr *Io* 6, 38; 8, 29; *Philp* 2, 7-8).

Christi vestigia calcans Episcopus Evangelio Ecclesiaeque traditioni paret ipseque temporis signa legit et Spiritus Sancti vocem in Petrino ministerio episcopalique collegialitate agnoscit. In Adhortatione Apostolica *Pastores dabo vobis* apostolicam, communitariam pastoralemque presbyteralis oboeditionis indolem collustravimus.[82] Hae proprietates notiore quoque ratione, ut patet, in Episcopi oboedientia reperiuntur. Sacramenti Ordinis plenitudo, quam ipse recepit efficit ut peculiaris intercedat ei cum Petri Successore, episcopalis Collegii sodalibus et ipsa eius particulari Ecclesia necessitudo. Ipse omnino officio teneri se sentire debet acriter coniunctionem Summo cum Pontifice fratribusque Episcopis arto in unitatis cooperationis vinculo vivendi, divino consilio hac ratione obtemperans, quod Apostolos cum Petro indivisibiliter coniungi voluit. Haec hierarchica Episcopi cum Summo Pontifice communio eius facultatem roborat Christum Iesum, totius Ecclesiae Caput invisibile, per susceptum Ordinem repraesentandi.

Apostolica oboedientiae ratio necessario addenda est etiam communitaria, quandoquidem episcopatus suapte natura est « unus et indivisus ».[83] Communitariae huius naturae vi, Episcopus ad suam exhibendam oboedientiam vocatur, omnes depellens invitationes singulari ad agendum ratione atque in se recipiens officium, intra episcopalis Collegii missionem, de totius Ecclesia bono sollicitudinis.

Auscultandi veluti exemplar, precibus iudicioque ad Dei voluntatem percipiendam intentus erit Episcopus per ea quae Ecclesiae dicit Spiritus. Evangelica ratione ipse exercens auctoritatem, cum cooperatoribus fidelibusque instituet dialogum, ut mutua consensio efficaciter increscat.[84] Quod ei dabit

[82] Cfr n. 28: *l.m.* 701-703.
[83] Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 18.
[84] Cfr *ibid.*, 27. 37.

copiam dignitatem ac responsalitatem cuiusque Dei Populi membri extollendi, spectando ut cum aequabilitate ac tranquillitate singulorum sollertia faveatur. Fideles namque iuvandi sunt ut in responsalem oboedientiam adolescant, quae eos de re pastorali alacres reddat.[85] Hac de re usque valet sancti Ignatii Antiocheni ad Polycarpum cohortatio: « Nihil sine tua voluntate fiat, neque tu quidquam sine Dei voluntate agas ».[86]

Sensus et Episcopi paupertatis exercitium

20. Synodales Patres, communem collegialitatis mentem significantes, evocationem, quam Nos in Liturgia Synodi initium faciente ediximus, receperunt, ut evangelica paupertatis beatitudo una habeatur ex necessariis condicionibus ad episcopale ministerium frugifere in hodiernis rerum adiunctis explicandum. Hac quoque occasione, in Episcoporum congressione Christi effulsit effigies, qui « opus redemptionis in paupertate et persecutione perfecit » atque Ecclesia etiam, in primis una suis cum Pastoribus, « ad eandem viam ingrediendam vocatur, ut fructus salutis hominibus communicet ».[87]

Episcopus idcirco, qui verus vult esse spei Evangelii testis et minister, *vir pauper* debet esse. Id postulat testificatio, quam ipse Christo pauperi reddere debet; id etiam postulat Ecclesiae de pauperibus a Domino amatis sollicitudo, qui ceteris sunt anteferendi. Eo quod Episcopus suum ministerium in paupertate agere constituit id ad Ecclesiam « domum pauperum » efficiendam reapse iuvabit.

Hoc consilium praeterea ponit Episcopum in condicione interioris libertatis, in ministerio exercendo, eique efficaciter salutis fructus communicandi dat copiam. Episcopalis auctoritas indefatigabili liberalitate et inexhausta gratuitate agi debet. Id ab Episcopo in caelestis Patris providentia plenam fiduciam, magnanimam bonorum communionem, severum vitae vivendi modum, perpetuam personalem conversionem postulat. Hac via tantum aptus erit ille ad anxietates populique Dei aerumnas communicandas, quem ipse non modo regere debet et alere, sed etiam ei sociari debet, quaestiones participando et spem colendam iuvando.

Officium hoc efficaciter sustinebit, si ipsius vita modesta, frugi ac simul industria studiosaque erit itemque, si qui in nostra societate infimi habentur, ii ab eo non in limitibus sed in media christiana communitate locabuntur.[88]

[85] Cfr *Propositio* 10.
[86] *Ad Polycarpum*, IV: *PG* 5, 721.
[87] Conc. Oecum. Vat. II, Const dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 8.
[88] Cfr *Propositio* 9.

Fere inscius « caritatis phantasiae » favebit, quae, magis quam praestita subsidia, fraternae communicationis participationem efferet. Etenim in apostolica Ecclesia, ut late Actus Apostolorum testantur, quorundam paupertas adiumenta aliorum concitabat, hoc cum mirabili effectu: « Neque enim quisquam egens erat inter illos » (4, 34). Hanc prophetiam Ecclesia mundo praebere debet, qui inter problemata famis et gentium inaequalitatum opprimitur. Hoc in communicationis simplicitatisque prospectu Episcopus veluti « bonus paterfamilias » Ecclesiae bona tractat isque vigilat ut secundum propria Ecclesiae proposita destinentur: quae sunt Dei cultus, ministrorum sustentatio, apostolatus opera, caritatis pro pauperibus incepta.

Procurator pauperum semper fuit titulus Ecclesiae pastorum, quod hodie quoque re esse debet, ut praesens ac manifestus Iesu Christi Evangelii nuntius reddatur, omnium hominum spei videlicet fundamentum, sed eorum potissimum qui a Deo uno digniorem vitam feliciorem que futurum aevum appetere queunt. Pastorum exemplo incitata Ecclesia itemque Ecclesiae « praeferendam optionem pro pauperibus » re perficere debent,[89] quod tertii millennii indicavimus propositum.

Per castimoniam de Ecclesiae famulatu quae Christi puritatem refert

21. « Accipe anulum, fidei signaculum: et sponsam Dei, sanctam Ecclesiam, intemerata fide ornatus, illibate custodi ». Verbis his, quae in episcopalis Ordinationis Pontificale Romano[90] enuntiantur, Episcopus sollicitatur ut suscepti officii conscius fiat in se virginalem Christi erga cunctos fideles dilectionem referendi. Suam per praesentiam cum primis impellitur ipse ad excitandas inter fideles mutuas necessitudines, quae respectu illo informantur et aestimatione, quae cum familia quadam conveniunt, ubi amor viget ad apostoli Petri monitionem: « Ex corde invicem diligite attentius, renovati non ex semine corruptibili sed incorruptibili per verbum Dei vivum et permanens » (*1 Pe* 1, 22-23).

Dum suo exemplo verboque ipse christianos ad corpora exhibenda ut « hostiam viventem, sanctam, Deo placentem » (*Rom* 12, 1) cohortatur, omnes monet: « praeterit enim figura huius mundi » (*1 Cor* 7, 31), ideoque necessarium est exspectare « beatam spem » gloriosi Christi reditus (cfr *Tit* 2, 13). Peculiari modo sua in sollicitudine pastorali paterno cum affectu ipse proximus est iis qui vitam religiosam evangelica consilia profitendo sunt complexi

[89] Cfr Ep. Ap. *Novo millennio ineunte* (6 Ianuarii 2001), 49: *AAS* 93 (2001), 302.

[90] *Ritus Ordinationis Episcopi*: Anuli traditio.

iique magni ponderis Ecclesiae famulatum praebent. Is porro sacerdotes sustinet iisdemque animum addit qui, divina gratia vocati, sua sponte caelibatus officium pro Regno caelorum in se receperunt, sibi iisque evangelicas spiritalesque huius voluntatis repetens rationes summi momenti ad Dei Populum curandum. In hodierni temporis Ecclesia mundoque casti amoris testificatio tum quandam efficit pro hominibus spiritalem curationem, tum sexualis appetitionis cultum quasi idolum factum esse denuntiat.

In hodiernis socialibus condicionibus, Episcopus peculiari modo suo gregi adesse debet et ante omnia sacerdotibus suis, paterne de eorum ascesis spiritalitatisque difficultatibus sollicitus, opportunum eis ministrans fulcimentum, ut eorum fidelitas erga vocationem et erga necessitates ministerii exercendi cum exemplari vitae sanctitate iuvetur. Cum autem graves culpae, immo autem, si delicta adsint, quae ipsi Evangelio testificando detrimentum inferunt, potissimum ab Ecclesiae ministris admittuntur, fortis firmusque, aequus securusque debet esse Episcopus. Ipse prompte agere debet, ad normas canonum statutas, sive ad emendationem et sacri ministri ad spiritale bonum, sive ad scandalum reparandum iustitiamque redintegrandam, sive ad victimas tuendas et iuvandas.

Suo verbo, vigili paternaque actione Episcopus adimplet officium mundo exhibendi veritatem sanctae castaeque Ecclesiae, quae talis sit in suis ministris atque fidelibus. Hac agens ratione suum gregem antegreditur Episcopus, quemadmodum egit Christus, Sponsus, qui vitam suam tradidit quique omnibus amoris clari virgineique exemplum ideoque fecundi quoque universalisque reliquit.

Spiritalitatis communionis missionisque suasor

22. In Epistula Apostolica *Novo millennio ineunte* necessitatem extulimus « ex Ecclesia domum scholamque communionis »[91] exstruendi. Quae res late divulgata est et a synodali Congressione est repetita. Episcopus primus, ut liquet, suo in spiritali itinere, officio promovendi animandique spiritalem communionis vitam obstringitur, dans strenue operam ut id unum sit ex primariis educationis principiis in omnibus locis ubi homo christianusque finguntur: scilicet in paroecia, in catholicis consociationibus, in ecclesialibus sodaliciis, in scholis catholicis, in oratoriis. Peculiarem in modum curabit Episcopus ut haec spiritalis communionis vita ubi futuri presbyteri instituuntur emineat ac stabiliatur, scilicet in seminariis, aeque ac in religiosis novi-

[91] N. 43: *AAS* 93 (2001), 296.

tiatibus, in domibus religiosis, in Institutis Facultatibusque theologicis, perinde et in scholis pro pastoralibus curatoribus atque in locis ubi familiae communitatesque aedificantur.

Huius promotionis spiritalis communionis vitae praecipua loca eadem in Epistula Apostolica summatim significavimus. Hic addere sufficiat, Episcopum eam suum intra presbyteratum in primis confirmare debere, sicut etiam inter diaconos, religiosos religiosasque. Id dialogo personalique occursu, sed etiam communitariis congressionibus expediet, quibus ille propria in Ecclesia particulari singularia momenta suadere studebit, quibus melius ad audiendum illi disponantur, quid Spiritus dicat Ecclesiis (cfr *Apc* 2, 7.11 et alibi). Haec sunt recessus, spiritalia exercitia ac spiritalitatis dies, prudenter instrumentis quoque novis communicationis socialis adhibitis, si opportunum id efficaciusque videatur.

Ut communionis spiritalem vitam colat, iniungit Episcopo ut alat quoque cum Romano Pontifice ceterisque fratribus Episcopis communionem, intra potissimum eandem Conferentiam episcopalem ac Provinciam ecclesiasticam. Hoc etiam in casu, qui postremus putandus non est ad superandum periculum solitudinis demissionisque animi pro magnitudine ac negotiorum immoderatione, Episcopus, praeter precationem, ad amicitiam fraternamque communionem cum suis in episcopatu Fratribus libenter confugiet.

Sua in scaturigine atque in typo trinitario usque in missione exprimitur communio. Missio usque fructus est et consentanea communionis consecutio. Cuius communionis vis atque motio iuvantur cum quis ad loca necessitatesque missionis recluditur, unitatis semper praestans testimonium, ut mundus credat simul amoris spatia amplificando, ut omnes trinitariam communionem attingant, ex qua procedunt cuique destinantur. Quanto intentior est communio, tanto prosperior est missio, praesertim cum in amoris paupertate vivitur, quae facultas est unamquamque personam, coetum et civilem ipsum cultum Crucis vi adeundi, quae est *spes unica* ac suprema Dei amoris testificatio, quae sicut universalis fraternitas etiam manifestatur.

Iter quod in cotidianis rebus procedit

23. Spiritalis rerum consideratio inducit ut agnoscatur: Episcopum propriam ad sanctitatem vocationem vivendam vocari in externarum internarumque difficultatum, propriarum alienarumque infirmitatum, cotidianarum necopinatarum rerum, quaestionum personalium et institutionis ambitu. Permanens est hic in Pastorum vita status, cuius est testis sanctus Gregorius Magnus qui dolenter animadvertit: «At postquam cordis humerum sarcinae

pastorali supposui, colligere se ad semetipsum assidue non potest animus, quia ad multa partitur. Cogor namque modo Ecclesiarum, modo monasteriorum causas discutere, saepe singulorum vitas actusque pensare... Cum itaque ad tot et tanta cogitanda scissa ac dilaniata mens ducitur, quando ad semetipsam redeat, ut totam se in praedicatione colligat, et a proferendi verbi ministerio non recedat?... Esse ergo speculatoris vita et alta debet semper et circumspecta ».[92]

Ut centrifugae vires exaequentur, quae unitatem eius interiorem perfringere conantur, quietum vivendi modum colat Episcopus oportet, qui mentis, animi et affectus aequabilitatem iuvet faciatque ut personis suscipiendis earumque postulationibus sit par promptusque, variis cum condicionibus laetis tristibusque vere communicans. Quod suam Episcopus diversis rationibus curat valetudinem, id in fideles amoris indicium ac pignus habetur maioris propensionis proclivitatisque ad Spiritus suasiones recipiendas. Qua de re vulgata sunt sancti Caroli Borromeo monita, praeclari videlicet pastoris exemplaris, quae ipse novissima sua in Synodo enuntiavit: « Curas geris animarum? Noli idcirco tui ipsius curam neglegere, nec te tam liberaliter ceteris tribuas, ut tui nihil tibi supersit; nam et te animarum quibus praees, meminisse quidem oportet, ita tamen ut tui non obliviscaris ».[93]

Itaque curabit Episcopus ut aequabiliter sua multiplicia munia gerat, sua varia in unum componens officia: divinorum mysteriorum scilicet celebrationem ac personalem precationem, personale studium et pastoralia incepta ineunda, recessum congruamque quietem. His spiritalis vitae sustentatus subsidiis, pacem cordis ipse inveniet, cum Trinitate altam communionem experiens, quae eum elegit eumque consecravit. Gratia fruens, quam Deus praestat, cotidie is suum ministerium explebit, necessitatibus Ecclesiae mundique occurrens qua spei testis.

Permanens Episcopi institutio

24. Arta cum officii Episcopi coniunctione impigre in sanctitatis vita procedendi, spiritali vita adhibita christocentrica et ecclesiali, synodalis Congressio necessitatem quoque imposuit permanentis institutionis. Cum haec cunctis fidelibus sit necessaria, quemadmodum in superioribus Synodis confirmatum est iteratumque in subsequentibus Adhortationibus Apostolicis *Christifideles laici, Pastores dabo vobis* et *Vita consecrata* permanens institutio

[92] *Hom. in Ez.* I, 11: *PL* 76, 908.
[93] *Acta Ecclesiae Mediolanensis*, Milano 1599, p. 1178.

Episcopo in primis habenda est necessaria, qui communis progressus concordisque Ecclesiae itineris retinet officium.

Quemadmodum sacerdotibus personisque vitae consecratae, Episcopo etiam permanens institutio intrinseca est necessitas eius vocationis atque missionis. Nam per eam novae vocationes dignosci possunt, quibus Deus definit et initialem vocationem in actum perducit. Petrus etiam apostolus, illud post « me sequere » primi eius cum Christo occursus (cfr *Mt* 4, 19), a Resuscitato eandem invitationem audit, qui, antequam mundum reliquit, labores et aerumnas futuri ministerii eidem praenuntians, addidit: « Tu me sequere » (*Io* 21, 22). Est igitur « me sequere » quoddam, quod vitam et missionem apostoli comitatur. Est nimirum « me sequere » quod vocationem et usque ad mortem fidelitatem contestatur, « me sequere » quod *Christi sequelam* demonstrare potest una cum sui ipsius pleno dono in martyrio ».[94] Non agitur, sicut omnino patet, ad hodierna tempora de accommodatione tantum agenda, quam realis Ecclesiae mundique condicionum cognitio requirit, sic ut aperta mente miserentique corde in nostrae aetatis adiuncta inseri sinatur Pastor. Cum hac ratione hodiernis temporibus consentaneae permanentis institutionis adduntur rationes anthropologicae, quae ex eo oriuntur quod ipsa vita in maturitatem continenter procedit, itemque theologicae rationes quae alte cum sacramentali radice nectuntur: nam Episcopus dare operam debet « ut vigili cum amore « mysterium custodiat, quod pro Ecclesiae humanitatisque bono in se fert ».[95]

Quoad certis temporibus nostrae aetati accommodationem, de quibusdam potissimum magni momenti argumentis, temporum auditionis, communionis et dialogi cum peritis — qui sunt Episcopi, sacerdotes, religiosi religiosaeque, laici — spatia reapse producta postulantur, dum pastorales experientiae, doctrinae cognitiones, spiritalia subsidia permutantur, quibus personae dotes ditiores revera efficiantur. Hac de re synodales Patres opportune suaserunt, ut peculiaria institutionis curricula per Congregationem pro Episcopis vel per Congregationem pro Gentium Evangelizatione procurentur, quae recentis nominationis Episcopos praesertim respiciant. Similiter suasum est ut quidam inquisitionis, cultus renovationis et spiritalium etiam exercitiorum dies Episcopis destinentur et Synodis patriarchalibus, Conferentiis episcopalibus, regionalibus nationalibusque itemque Continentium Congressionibus Episcoporum comparentur.

[94] Ioannes Paulus II, Adhort. Ap. post-synodalis *Pastores dabo vobis* (25 Martii 1992), 70: *AAS* 84 (1992), 781.

[95] *Ibid.*, 72: *l.m.* 787.

Convenit ut episcopalis Conferentiae praesidentia causam suscipiat formationis permanentis programmata comparandi eaque absolvendi, Episcopos incitans ut his curriculis intersint, ut hac quoque ratione inter Pastores amplior communio procuretur, ad efficaciorem pastoralem operam singulis in dioecesibus agendam.[96]

Quidquid est omnino liquet, quemadmodum Ecclesiae vitam, sic etiam agendi rationes, pastoralia incepta, episcopalis ministerii formas evolvi. Has etiam propter rationes cultus renovatio est necessaria, ad Codicis Iuris Canonici mandata et ad novas provocationes novaque Ecclesiae in hominum societate officia. Hoc in ambitu synodalis Congressio suasit ut Directorium *Ecclesiae imago* recognosceretur, quod Congregatio pro Episcopis die XXII mensis Februarii anno MCMLXXIII evulgavit, utque temporum necessitatibus immutationibusque, quae contigerunt in Ecclesia vitaque pastorali, accommodaretur.[97]

Sanctorum Episcoporum exemplum

25. Sua in vita ministerioque, in spiritali itinere conatuque pastoralem operam accommodandi, Episcopi sanctorum Pastorum exemplis roborantur. In Eucharisticae celebrationis homilia ipsa, qua Synodo finis impositus est, sanctorum Pastorum novissimo saeculo canonizatorum exemplum exhibitum est a Nobis, veluti Spiritus gratiae testimonium, quae Ecclesiae numquam defuit neque umquam deficiet.[98]

Ecclesiae annales, sumpto ab Apostolis initio, perquam grandem Pastorum numerum recensent, quorum doctrina sanctitasque illuminare et Episcoporum etiam tertii millennii spiritale iter dirigere possunt. Quod eximii Pastores primorum Ecclesiae saeculorum, Conditores Ecclesiarum particularium, fidei confessores martyresque, qui persecutionum temporibus vitam pro Christo tradiderunt, sunt testati, id insigne habetur ad quod nostrae aetatis Episcopi spectare debent, ut ad suum in Evangelii famulatum trahant indicia et incitamenta.

Complures in spei exercenda virtute spectabiles utique fuerunt, difficilibus in condicionibus cum suum populum sublevarent, suas ecclesias post persecutionum calamitatumque aetatem iterum aedificarent, deversoria peregrinatoribus pauperibusque suscipiendis struerent, valetudinaria aegrotis senibusque curandis constituerent. Tot Episcopi sapientes fuerunt ductores,

[96] Cfr *Propositio* 12.
[97] Cfr *Propositio* 13.
[98] Cfr n. 6: *AAS* 94 (2002), 116.

qui novas semitas suo populo straverunt. Difficilibus temporibus Christum cruci affixum resuscitatumque contuentes, spem nostram, certe prudenterque propriae aetatis responderunt provocationibus. Tertii millennii principio, adhuc supersunt tales Pastores, qui commentarios quosdam exhibere possint, ubi fides viget quae in Cruce innititur. Pastores hi humana desideria percipere valent eademque sumere, purificare et sub Evangelii lumine interpretari ideoque una cum universo populo sibi demandato historiam quandam contexere possunt.

Itaque quaeque particularis Ecclesia suos sanctos Episcopos celebrandos curabit, Pastores quoque commemorando qui sanctitate vitae ac spectabili doctrina populo peculiarem admirationis affectionisque hereditatem reliquerunt. Ipsi sunt spiritales excubitores qui ex caelo per saecula peregrinantis Ecclesiae iter dirigunt. Hac quoque de causa, ut usque viva fidelitatis ministerio exercendo praestantium Episcoporum memoria servaretur, synodalis Congressio suasit ut Ecclesiae particulares vel, ut res postulat, Conferentiae episcopales operam darent ut fideles, renovatis horum vitae narrationibus usi, tales viros cognoscerent, atque, si commodum videretur, opportunitatem excuterent essentne canonizationis causae introducendae.[99]

Vitae spiritalis apostolicaeque omnino absolutae testificatio adhuc exstat magnum vigoris Evangelii ad personas communitatesque immutandas documentum, cum efficiat ut ipsa Dei sanctitas in mundum historiamque se insinuet. Istud quoque spei est indicium, quod ad novas generationes potissimum attinet, quae ex Ecclesia incitantia consilia exspectant, quibus nostrae aetatis societatem in Christo renovandi opera animetur.

Caput III

FIDEI MAGISTER ET VERBI NUNTIUS

«*Euntes in mundum universum praedicate Evangelium*» (*Mc* 16, 15)

26. Iesus a mortuis resuscitatus apostolis suis missionem committit omnes gentes «discipulos faciendi», eos docendo servare omnia quaecumque Ipsemet mandavit. Ecclesiae igitur, quae communitas est discipulorum Domini crucifixi et surrecti, munus sollemniter committitur praedicandi Evangelium omni creaturae. Agitur de munere quod usque ad saeculorum finem perdurabit. Ex primo illo exordio Ecclesia absque hoc munere evangelizandi

[99] Cfr *Propositio* 11.

cogitari nequit. Paulus apostolus huiusmodi conscientiam notissimis suis verbis significavit: «Nam si evangelizavero, non est mihi gloria; necessitas enim mihi incumbit. Vae enim mihi est, si non evangelizavero!» (*1 Cor* 9, 16).

Si officium Evangelium nuntiandi totius est Ecclesiae singulorumque filiorum, peculiari ratione ad Episcopos pertinet, qui, die sacrae Ordinationis qua inseruntur in apostolicam successionem, inter praecipua suorum munera assumunt illud nuntiandi Evangelium, immo nuntiandi hominibus, «eos in Spiritus fortitudine ad fidem vocantes aut in fide viva confirmantes».[100]

Haec quidem Episcopi actuositas Evangelium praedicandi, quae prospicit hominibus ad fidem revocandis aut in ea corroborandis, praestantem paternitatis ipsius constituit declarationem. Idcirco ille cum Paulo asserere potest: «Nam si decem milia paedagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres, nam in Christo Iesu per evangelium ego vos genui» (*1 Cor* 4, 15). Hanc ipsam propter vim quae novam secundum Spiritum generat vitam, ministerium episcopale mundo ostenditur uti signum spei pro populis, pro singulis hominibus.

Quapropter Patres synodales peropportune in memoriam revocaverunt, nuntium Christi primum locum obtinere et Episcopum tam verbis quam vitae testimonio primum esse Evangelii praeconem. De provocationibus quas aetas nostra secum fert Episcopus conscius esse debet easque audacter oppetere. Omnes Episcopi, veluti ministri veritatis, hoc munus fortitudine et fiducia sustinere tenentur.[101]

Christus in Evangelii hominisque corde

27. De nuntio Evangelii argumentum praestitit inter interventus Patrum synodalium, qui saepe ac diversimode asseruerunt vivens nuntii Evangelii centrum Christum esse crucifixum et surrectum pro cunctorum hominum salute.[102]

Christus enim cor est evangelizationis, cuius consilium «in Christo ipso deprehenditur, qui sane cognoscendus est, diligendus atque imitandus, ut vita in eo trinitaria ducatur et cum eo historia ipsa transfiguretur ad suam usque in Hierosolymis caelestibus consummationem. Institutum enim hoc, variantibus quidem temporibus ipsis atque culturae formis, non mutatur quamvis rationem quidem habeat temporis et culturae, ut verum instituat diverbium efficacemque

[100] Conc. Oecum. Vat. II, Decr. de pastorali Episcoporum munere in Ecclesia *Christus Dominus*, 12; cfr Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 25.

[101] Cfr *Propositiones* 14; 15.

[102] Cfr *Propositio* 14.

communicationem. Constans vero institutum illud per tertium millennium pariter est nostrum ».[103]

De Christo, corde Evangelii, devertuntur omnes ceterae veritates fidei et spes quoque ad universos homines diffunditur. Christus enim lux est quae illuminat omnem hominem, et quicumque in Ipso regeneratur primitias Spiritus accipit, quibus fit habilis ad novam amoris legem adimplendam.[104]

Vigore igitur eiusdem apostolicae missionis, Episcopus aptus efficitur ad populum suum inserendum in cardinem mysterii fidei, ubi viventem Christi Iesu personam reperire poterit. Christifideles ita intellegent, omnem christianam experientiam habere scaturiginem et indicem quo sese vertant in Paschate Iesu, de peccato morteque triumphantis.[105]

Deinde nuntius mortis et resurrectionis Domini complectitur « nuntiationem propheticam rerum alterius vitae — id est altissimae ac perpetuae hominum vocationis, coniunctae eodemque tempore disiunctae a statu praesenti — alterius vitae, quae tempus et historiam superat, quaeque res huius mundi supervadit, cuius figura transit. [...] Evangelizatio continet igitur etiam praedicationem spei de promissionibus, a Deo in novo Foedere factis per Iesum Christum ».[106]

Episcopus, auditor et custos Verbi

28. Concilium Vaticanum II, viam persequens secundum Ecclesiae traditionem, declarat missionem docendi Episcoporum in eo sistere ut fidem sancte custodiant fortiterque nuntient.[107]

Hoc de prospectu manifestatur in sua perafluenti sensus plenitudine gestus adhibitus in Ritu Romano Ordinationis episcopalis, cum super caput electi imponitur Evangeliarium apertum: quod significat, una ex parte, Verbum Episcopi ministerium involvere et custodire, et, altera ex parte, vitam illius omnino subici debere Verbo Dei dum cotidie in praedicationem Evangelii incumbit omni longanimitate et doctrina (cfr *2 Tim* 4). Etiam Patres synodales saepius protulerunt ipsum Episcopum esse, qui Verbum Dei aman-

[103] Ioannes Paulus II, Ep. Ap. *Novo millennio ineunte* (6 Ianuarii 2001), 29: *AAS* 93 (2001), 285-286.

[104] Cfr Conc. Oecum. Vat. II, Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, 22.

[105] Cfr *Propositio* 15.

[106] Paulus VI, Adhort. Ap. *Evangelii nuntiandi* (8 Decembris 1975), 28: *AAS* 68 (1976), 24.

[107] Cfr Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 25; Const. dogm. de Divina Revelatione *Dei Verbum*, 10; *Codex Iuris Canonici*, can. 747 § 1; *Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium*, can. 595 § 1.

ter tueatur et strenue defendat, dum de salutari Ipsius nuntio testimonium reddit. Etenim, sensus *muneris docendi* Episcoporum ex ipsa natura rei custodiendae, nempe ex natura depositi fidei exoritur.

Christus Dominus noster in Sacra Scriptura tam Veteris quam Novi Foederis et in Traditione commisit Ecclesiae suae unicum depositum divinae Revelationis, quae veluti speculum est in quo Ecclesia ipsa, in terris peregrinans « contemplatur Deum, a quo omnia accipit, usquedum ad Eum videndum facie ad faciem sicuti est perducatur ».[108] Ita enim accidit saeculorum decursu ad hodiernam usque aetatem: diversae communitates, amplectentes Verbum semper novum et in decursu temporum efficax, vocem Spiritus Sancti audierunt, nitentes ut eam vivam redderent et actuosam in diversis historiae periodis. Sic vox tradita, Traditio, in dies maiore conscientia facta est Verbum vitae et interea obligatio id nuntiandi et custodiendi gradatim ad effectum adducta est, inspirante et suggerente Spiritu Veritatis, perpetuo transmittens omne quod Ecclesia est et omne quod ipsa credit.[109]

Traditio haec, quae ab Apostolis originem ducit, progreditur in vita Ecclesiae, uti docet Concilium Vaticanum II. Similiter crescit et evolvitur cognitio rerum verborumque transmissorum, ita quidem ut, in tradita fide tenenda, exercenda profitendaque singularis fiat Antistitum et fidelium conspiratio.[110] Quaerentes enim fidelitatem Spiritui in corde Ecclesiae loquenti, fideles et pastores invicem conveniunt et nectuntur illis intimis fidei vinculis, quae se ostendunt tamquam tempus primum *sensus fidei*. Iuvat memorare Concilii verba: « Universitas fidelium, qui unctionem habent a Sancto (cfr *1 Io* 2, 20 et 27), in credendo falli nequit, atque hanc suam peculiarem proprietatem mediante supernaturali sensu fidei totius populi manifestat, cum "ab Episcopis usque ad extremos laicos fideles" universalem suum consensum de rebus fidei et morum exhibet ».[111]

Hac de re vita *Ecclesiae* et vita *in Ecclesia* condicio est uniuscuiusque Episcopi ut suam ipse docendi missionem exerceat. Episcopus identitatem et spatium suum reperit intra communitatem discipulorum Domini, ubi donum vitae divinae et primam fidei eruditionem recepit. Quilibet Episcopus, praesertim cum coram fidelium communitate ex sua episcopali cathedra magistri munus in Ecclesia exercet, repetere debet sancti Augustini verba: « Tamquam vobis ex hoc loco doctores sumus; sed sub illo uno Magistro in

[108] Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Divina Revelatione *Dei Verbum*, 7.
[109] Cfr *ibid.*, 8.
[110] Cfr *ibid.*, 10.
[111] Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 12.

hac schola vobiscum condiscipuli sumus».[112] In sinu Ecclesiae, scholae Dei viventis, Episcopi fidelesque omnes sunt condiscipuli et omnes a Spiritu instruantur oportet.

Plurima sane sunt loca, ex quibus Spiritus interiorem largitur eruditionem: ante omnia cor singulorum fidelium, deinde vita diversarum Ecclesiarum particularium, unde oriuntur et percipiuntur multiplices hominum ecclesialiumque communitatum necessitates sive per iam nota eloquia, sive per diversa atque nova.

Spiritus adhuc audiri se sinit, dum varias charismatum et ministeriorum species in Ecclesia suscitat. Hac quoque ratione, saepe in Aula synodali frequenter auditae sunt voces quae Episcopos hortabantur ut, immediata congressione personalique colloquio, vestigia sequentes Boni Pastoris qui oves suas novit et nominatim vocat, conveniant fideles degentes in communitatibus suae pastorali curae creditis. Etenim, frequentes conventus Episcopi cum suis presbyteris potissimum, ac deinde cum diaconis, cum personis consecratis earumque communitatibus, cum fidelibus laicis, sive separatim sive in vario associationum genere, summi sunt ponderis ad efficax ministerium apud populum Dei exercendum.

Authenticum et auctoritate pollens Verbi ministerium

29. Unusquisque Episcopus in episcopali Ordinatione maximum accepit munus Verbum cum auctoritate nuntiandi. Quilibet enim Episcopus, vi sacrae Ordinationis, authenticus fit doctor, qui populo sibi commisso praedicat fidem credendam et morali vitae aptandam. Quod significat Episcopos ipsa Christi auctoritate exornari; hac praecipua ratione « Episcopi in communione cum Romano Pontifice docentes ab omnibus tamquam divinae et catholicae veritatis testes venerandi sunt; fideles autem in sui Episcopi sententiam de fide et moribus nomine Christi prolatam concurrere, eique religioso animi obsequio adhaerere debent ».[113] In hoc ministerio Veritati praestando, Episcopus ponitur *coram* communitate quatenus ille est *pro* communitate constitutus, ad quam vertit propriam pastoris sollicitudinem et pro qua enixe Deo precationem suam effundit.

Etenim quidquid ex corde Ecclesiae exaudivit et accepit, Episcopus suis restituit fratribus, de quibus curam adhibere tenetur sicut Pastor bonus. In illo *sensus fidei* propriam plenitudinem attingit. Ita sane Concilium Vatica-

[112] *En. in Ps.* 126, 3: *PL* 37, 1669.
[113] Conc. Oecum. Vat. II., Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 25.

num II docet: « Illo enim sensu fidei, qui a Spiritu veritatis excitatur et sustentatur, Populus Dei sub ductu sacri magisterii, cui fideliter obsequens, iam non verbum hominum, sed vere accipit verbum Dei (cfr *1 Thess* 2, 13), semel traditae sanctis fidei (*Ids* 3) indefectibiliter adhaeret, recto iudicio in eam profundius penetrat eamque in vita plenius applicat ».[114] Est enim verbum quod, in sinu communitatis et coram ea, non est simpliciter verbum Episcopi tamquam privati viri, sed Verbum Pastoris qui in fide confirmat, circa mysterium Dei congregat et vitam generat.

Fideles indigent verbo sui Episcopi, indigent confirmatione suaeque fidei purificatione. Conventus synodalis, sua ex parte, in luce hanc necessitatem posuit, ostendens quosdam proprios aspectus, in quibus perquam singulariter illa percipitur. Quos inter aspectus, unus constituitur primo nuntio seu *kerygmate*, quod semper requiritur ad oboeditionem fidei suscitandam, sed adhuc urgentius fit hodierna in rerum condicione, in qua inter innumeros christifideles incuria saevit et ignorantia religiosa.[115] Etiam ad rem catecheticam quod attinet, patet Episcopum catechistam eminenti esse gradu. Vehemens actuositas sanctorum et insignium Episcoporum, quorum opera catechetica adhuc in praesens mirabiliter consuluntur, animum addit ut confirmetur, munus iugiter vigens Episcopi illud esse, ut supremum catechesis moderamen in se sumat. Hoc in officio adimplendo, non poterit non se referre ad *Catechismum Catholicae Ecclesiae*.

Validum igitur manet quod scripsimus in Adhortatione Apostolica *Catechesi tradendae*: « Vobis, dilectissimi Fratres, missio peculiaris in Ecclesiis vestris est credita; ubi vos estis ii qui primi officio catecheseos tradendae devinciuntur ».[116] Qua de re cuiuslibet Episcopi est in propria Ecclesia particulari primas partes actuosae et efficaci catechesi tribuere. Immo ipsemet exsequi debet suam huiusmodi sollicitudinem per immediatos actus, quibus ipse directe quoque intersit ad authenticum flagransque catechesis studium excitandum et servandum.[117]

Deinde conscius de proprio officio quatenus attinet ad transmissionem et institutionem fidei, quilibet Episcopus curabit ut aequam adhibeant sollicitudinem omnes qui, propter propriam vocationem et missionem, ad fidem transmittendam vocantur. Agitur enim de presbyteris et diaconis, de fidelibus vitae consecratae, de patribus et matribus familiae, de ministris pasto-

[114] *Ibid.*, 12.

[115] Cfr *Propositio* 15.

[116] N. 63: *AAS* 71 (1979), 1329.

[117] Congregatio pro Clericis, *Direttorio Generale per la Catechesi* (15 Augusti 1997), 233: *Ench. Vat.* 16, 1065.

ralibus ac praesertim de catechistis, sicut etiam de magistris theologiae et scientiarum ecclesiasticarum, necnon de praeceptoribus catholicae religionis.[118] Quibus de causis Episcopus eorum initiali et permanenti formationi consulere tenetur.

Hanc propter eius obligationem, maxime utilia haberi debent sive apertum colloquium sive adiutrix opera cum theologis, quos decet congruenti ratione investigabiles divitias mysterii Christi penitus perspicere. Episcopi offerre ne cessent tam illis quam etiam institutis scholasticis et academicis, quibus illi inserviunt, confirmationem animi et subsidium, ut opus in utilitatem Populi Dei explicare possint, servantes fidelitatem erga Traditionem et attendentes praecipuis historiae momentis.[119] Cum opportunum visum fuerit, Episcopi unitatem et integritatem fidei firmiter tueantur, cum auctoritate discernentes quid sit Verbo Dei conforme vel minus.[120]

Patres synodales excitaverunt animos Episcoporum de eorum magisteriali officio ad rem moralem quod attinet. Normae ab Ecclesia propositae referunt mandata divina, quae compendium constituunt et consummationem in evangelico caritatis mandato. Finis ad quem tendunt singulae normae divinae optimum est hominis donum. Viget quoque hodie hortatio libri Deuteronomii: « Per totam viam, quam praecepit Dominus Deus vester, ambulabitis, ut vivatis, et bene sit vobis » (5, 33). Minime insuper obliviscendum est mandata Decalogi radices penitus immittere in ipsam naturam humanam et ideo animi bona, quae ipsi tuentur, universali pollere pondere. Hoc quidem praesertim respicit humanam vitam inde ab exordiis tuendam usque ad expletum cursum suum per mortem communem, libertatem personarum et nationum, iustitiam socialem necnon structuras ad eam exsequendam.[121]

Episcopale ministerium pro inculturatione Evangelii

30. Evangelizatio civilis cultus et inculturatio Evangelii ad novam pertinent evangelizationem et ideo constituunt proprium episcopalis muneris officium. Synodus, excipiens huiusmodi quasdam superiores sententias Nos-

[118] Cfr *Propositio* 15.

[119] Cfr *Propositio* 47.

[120] Cfr Congregatio pro Doctrina Fidei, Instr. *Donum veritatis* (24 Maii 1990), 19: *AAS* 82 (1990), 1558; *Codex Iuris Canonici*, can. 386 § 2; *Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium*, can. 196 § 2.

[121] Cfr *Propositio* 16.

tras, refert: « Fides, quae in culturam non mutatur, nec plene recipitur, nec integre cogitatur, nec vitae fideliter aptatur ».[122]

Revera agitur de vetere at semper novo munere, quod originem ducit ex ipso Incarnationis mysterio, quodque rationem habet in intrinseca Evangelii facultate in quamcumque culturam radices immittendi, eam informandi et promovendi, et ita ipsam purgandi eamque aperiendi plenitudini veritatum et vitae, quae adimpletur in Christo Iesu. Huic argumento summum tributum est pondus in Synodis continentalibus, ex quibus perutiles emanarunt animadversiones. Hac in re Nosmet Ipsi saepe perstitimus.

Quapropter, quilibet Episcopus, perpendens hodierna bona culturalia quae sunt in circumscriptione suae particularis Ecclesiae, maximopere contendet ut Evangelium integre nuntietur, ita quidem ut instituat cor hominum moresque populorum. In hoc opere evangelizationis frui poterit valido theologorum auxilio, necnon adiumento peritorum ad dioecesis culturae, artium et historiae patrimonium in luce ponendum: hoc quidem respicit sive veterem sive novam evangelizationem et efficiens reddit pastorale subsidium.[123]

Pariter ad Evangelium in « novis areopagis » nuntiandum et ad fidem transmittendam magni habentur instrumenta communicationis socialis, ad quae etiam conversa est mens Patrum synodalium, qui Episcopos hortati sunt ad ampliorem cooperationem inter Conferentias episcopales, sive nationales sive internationales, quo actuositas hoc in gravi excellentique ambitu vitae socialis praestantior fiat.[124]

Etenim, cum agitur de Evangelio nuntiando, praeterquam de ipsius nuntii orthodoxia, magni quoque interest ut cura adhibeatur de quadam acri hortatione, quae ipsius auditionem et acceptationem excitet. Hoc, ut patet, obligationem implicat congruens tribuendi spatium, praesertim in seminariis, quo sacerdotium affectantes tali modo de usu instrumentorum communicationis socialis edoceantur, ut Evangelii praecones idonei ad proclamationem et apti ad communicationem efficiantur.

Verbo et exemplo praedicandum est

31. Ministerium Episcopi tamquam Evangelii nuntii et fidei custodis coram Populo Dei non plene proponitur, si desit mentio de obligatione per-

[122] *Allocutio* ad participes conventus nationalis Italiae Motus ecclesialis de culturali cura (16 Ianuarii 1982), 2: *Insegnamenti* V/1 (1982), 131; cfr *Propositio* 64.

[123] Cfr *Propositio* 65.

[124] Cfr *Propositio* 66.

sonalis cohaerentiae: eius magisterium perducitur testimonio et exemplo authenticae vitae fidei. Si Episcopus, qui auctoritate nomine Iesu Christi exercita[125] docet verbum a communitate exauditum, ad vitam non aptaret ea quae docuit, ipsi communitati incongruens traderet nuntium.

Unde liquet omnes actiones Episcopi destinandas esse ad nuntiationem Evangelii, quod «virtus Dei est in salutem omni credenti» (*Rom* 1, 16). Eius praecipuum munus est Populum Dei adiuvare ad fidei oboeditionem Verbo Revelationis exhibendam (cfr *Rom* 1, 5) et ad Christi doctrinam omnino amplectendam. Dici potest missionem et vitam Episcopi ita componi ut de duabus diversis rebus cogitari nequeat: *Nos Episcopi idem sumus ac missio nostra*. Si eam neglegemus, nosmet ipsi amplius non erimus. Dum nostram fidem testamur, vita nostra adspectabile efficitur signum praesentiae Christi nostris in communitatibus.

Testimonium vitae pro quolibet Episcopo fit tamquam novus auctoritatis titulus, qui ad proprium titulum consecratione receptum accedit. Est enim gravitas quae accedit ad auctoritatem. Utraque necessaria est. Ex priore enim oritur exigentia obiectiva ut fideles authentico Episcopi magisterio adhaereant; ex altera vero expeditio quomodo fiduciam in nuntio poni possit. Iuvat Nos referre quod huiusmodi scripsit praeclarus Episcopus antiquae Ecclesiae, sanctus Hilarius Pictaviensis: «Beatus apostolus Paulus formam constituendi Episcopi fingens et plane novum Ecclesiae hominem praeceptis suis condens, hanc veluti summam consummatarum in eo virtutum esse docuit dicens: Obtinentem secundum doctrinam fidei verbum, ut potens sit exhortari ad doctrinam sanam et contradicentes revincere... Quia non statim boni adque utilis sacerdotis est, aut tantummodo innocenter agere, aut tantummodo scienter praedicare, cum et innocens sibi tantum proficiat, nisi doctus sit, et doctus sine doctrinae sit auctoritate, nisi innocens sit».[126]

Ipse Paulus apostolus modum agendi confirmat dicens: «In omnibus teipsum praebens exemplum bonorum operum, in doctrina integritatem, gravitatem, in verbo sano irreprehensibilem, ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis» (*Tit* 2, 7-8).

[125] Cfr Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Divina Revelatione *Dei Verbum*, 10.
[126] *De Trinitate*, VIII, 1: *PL* 10, 236.

Caput IV

GRATIAE MINISTER SACERDOTII SUPREMI

Sanctificati in Christo Iesu atque ad sanctitatem vocati (cfr *1 Cor* 1, 2)

32. Tractaturi Nos unam ex primis praecipuisque Episcopi perfunctionibus, nempe de sanctificationis ministerio, ante oculos constituimus apostoli Pauli verba Corinthi fidelibus enuntiata, cum veluti eorum in prospectu mysterium exponeret ipsorum vocationis: «Sanctificatis in Christo Iesu, vocatis sanctis cum omnibus, qui invocant nomen Domini nostri Iesu Christi in omni loco» (*1 Cor* 1, 2). Christifidelis enim sanctificatio Baptismi impletur lavacro, Confirmationis atque Reconciliationis roboratur sacramentis, atque Eucharistia nutritur, quae thesaurus Ecclesiae pretiosissimus est, sacramentum quo Ecclesia uti Populus Dei, Christi corpus Spiritusque Sancti templum continenter aedificatur.[127]

Huius quidem sanctificationis, quae per Ecclesiae vitam diffunditur, administer praesertim Sanctam per Liturgiam Episcopus ipse est. De Liturgia autem ac nominatim de eucharistica Celebratione hoc affirmatur: «Est culmen ad quod actio Ecclesiae tendit et simul fons unde omnis eius virtus emanat».[128] Haec vero declaratio repetitur aliquo modo in ipso Episcopi liturgico ministerio, quippe quod eius operae tempus maximum praebetur, quae ad Dei Populi spectat sanctificationem.

Hinc momentum elucet manifesto liturgicae vitae in Ecclesia qualibet particulari, suum ubi sanctificationis exercet Episcopus ministerium, verbum Dei proclamans ac praedicans necnon precationem *pro* populo suo ducens et *cum* suo populo, atque Sacramentorum praesidens celebrationi. Hac de causa, Episcopo tribuit Constitutio dogmatica *Lumen gentium* pulchrum sane titulum ex consecrationis nempe episcopalis ritu acceptum in liturgia Byzantina, qui est «*oeconomus gratiae supremi sacerdotii*, praesertim in Eucharistia, quam ipse offert vel offerri curat, et qua continuo vivit et crescit Ecclesia».[129]

Alta intimaque viget consonantia inter sanctificationis ministerium et cetera duo, verbi ac regiminis. Ordinatur enim praedicatio ad vitae divinae participationem, quae duplici hauritur de mensa, scilicet Verbi atque Eucharistiae. Cotidiana in fidelium vita progreditur illa et ostenditur, quandoqui-

[127] Cfr Ioannes Paulus II, Litt. Enc. *Ecclesia de Eucharistia* (17 Aprilis 2003), 22-24: *AAS* 95 (2003), 448-449.

[128] Conc. Oecum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, 10.

[129] N. 26.

dem vocantur omnes ut quod in fide perceperunt suis declarent moribus.[130] Praeterea regiminis ministerium, tamquam Iesu Boni Pastoris, muneribus significatur operibusque quae eo spectant ut in fidelium communitate plenitudo vitae in caritate emergat, ad Sanctissimae Trinitatis gloriam necnon testificationem amantis eius praesentiae in mundo.

Dum igitur *munus sanctificandi* exercet quisque Episcopus, id quidem exsequitur ad quod *muneris docendi* ministerium pertinet simulque gratiam percipit in *muneris regendi* ministerium ac suos affectus ad Christi Summi Sacerdotis exemplar accommodat unde omnia ad Ecclesiae aedificationem Sanctaeque Trinitatis gloriam dirigantur.

Fons et culmen vitae Ecclesiae particularis

33. Per Eucharistiae aliorumque sacramentorum celebrationem complet Episcopus sanctificationis ministerium, tum etiam per laudem divinam Liturgiae Horarum, moderationem ceterorum rituum sacrorum, postremo vitae liturgicae promotionem solidamque pietatem popularem. Inter omnes autem celebrationes, quibus praeest Episcopus, illae peculiare prae se ferunt momentum ex quibus ministerii episcopalis proprietas effulget, veluti sacerdotii plenitudinis. Agitur nominatim de collatione sacramenti Confirmationis et sacrarum Ordinationum, sollemni de celebratione Eucharistiae, ubi suo a presbyterio circumdatur Episcopus aliisque ministris, sicut in Missae Chrismatis evenit, de aedium sacrarum dedicatione et altarium, de virginum consecratione atque aliis ritibus, qui in particularis Ecclesiae vita magni sunt momenti. Hic enim aspectabili modo sese praebet Episcopus uti patrem pastoremque fidelium ac sui populi «sacerdotem magnum» (cfr *Heb* 10, 21), orationi deditum et precationis magistrum, qui suis intercedit pro fratribus atque eodem cum populo supplicat gratiasque Domino refert, dum Dei primatum extollit et eius gloriam.

Diversis in his eventibus gratia divina profluit veluti e scaturigine, quae totam filiorum Dei penetrat vitam eorum per terrestre iter, dirigens eam proprium ad culmen ac plenitudinem in patria beata. Idcirco sanctificationis ministerium praecipuum est spei christianae tempus. Non tantum verbi praedicatione nuntiat Episcopus Dei promissiones ac venturi temporis semitas describit, verum Dei populum in terrena peregrinatione confirmat ac per sacramentorum celebrationem, gloriae venturae pignus, facit ut ultimam iam praegustet suam condicionem, una cum Virgine Maria et sanctis, firmis-

[130] Cfr Conc. Oecum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, 10.

sime confisus victoria Christi novissima de peccato ac morte eiusque in gloriam adventu.

Templi cathedralis praestantia

34. Quamvis totam per dioecesim expleat Episcopus suum sanctificationis ministerium, medium tamen habet suum punctum in cathedrali aede, quae veluti ecclesia mater est conveniendique sedes particularis Ecclesiae.

Locus enim cathedrale templum est, ubi Episcopus suam cathedram habet, unde educat et crescere sinit populum suum per praedicationem, et ubi principalibus anni liturgici ac sacramentorum praesidet celebrationibus. Tunc omnino, cum sua sedet in cathedra, coram fidelium coetu se illum demonstrat Episcopus qui *in loco Dei Patris* praeest; et hac de causa, quem ad modum iam superius meminimus, secundum antiquissimam tum Orientis tum Occidentis traditionem soli Episcopo in cathedra episcopali adsidere licet. Huius namque Cathedrae praesentia prorsus efficit de aede cathedrali centrum locale ac spiritale unitatis communionisque pro presbyterio dioecesano universoque sancto Dei populo.

Hac de re non obliviscendum est quod Concilium Vaticanum II tradit: «Omnes vitam liturgicam dioeceseos circa Episcopum, *praesertim in ecclesia cathedrali*, maximi faciant oportet: sibi persuasum habentes praecipuam manifestationem Ecclesiae haberi in plenaria et actuosa participatione totius plebis sanctae Dei in iisdem celebrationibus liturgicis, praesertim in eadem Eucharistia, in una oratione, ad unum altare cui praeest Episcopus a suo presbyterio et ministris circumdatus».[131] Quapropter cathedrali in templo primarium vitae Ecclesiae attingitur tempus, actusque maxime excelsus et sacerrimus *muneris sanctificandi* Episcopi completur, qui secum, haud secus ac liturgia ipsa cui praeest, hominum sanctificationem importat necnon cultum ac Dei gloriam.

Adiuncta peculiaria hoc ad illuminandum Ecclesiae mysterium singulares sunt quaedam celebrationes. Inter eas commemoramus annuam liturgiam Missae Chrismatis, quae haberi debet una ex praecipuis significationibus plenitudinis sacerdotii Episcopi itemque signum artae coniunctionis presbyterorum cum illo.[132] Huius celebrationis tempore una cum Oleo infirmorum et Oleo catechumenorum expiatur Chrisma sacrum, sacramentale salutis signum vitaeque perfectae pro omnibus ex aqua et Spiritu Sancto renatis. Sollemniores etiam inter liturgias sine dubitatione numeretur collatio Ordi-

[131] *Ibid.*, 41.
[132] Cfr Pontificale Romanum, *Benedictio oleorum*, Praefationes, 1.

num sacrorum oportet: qui quidem ritus cuncti proprium obtinent communemque locum in cathedrali templo.[133] Huc sunt aliae commemorationes addendae, verbi causa anniversarius dies dedicati cathedralis templi necnon festivitates sanctorum dioecesis Patronorum.

Hae aliaeque opportunitates, secundum liturgicum cuiusque dioecesis calendarium, sunt magni ponderis occasiones ad vincula communionis corroboranda cum presbyteris ac personis consecratis tum etiam fidelibus laicis, et ad excitandum missionale studium omnes inter Ecclesiae particularis sodales. Hinc momentum aedis cathedralis clara in luce reponit *Caeremoniale Episcoporum* tum etiam ipsarum celebrationum quae in ea peraguntur ad bonum et exemplum totius Ecclesiae particularis.[134]

Episcopus moderator liturgiae sicut artis educandae fidei

35. Hodiernis vero in adiunctis voluerunt synodales Patres animos iterum dirigere in ministerii sanctificationis excellentiam quod in liturgia agitur, quam tamen ita peragi necesse est, ut suam exserat docendi educandique efficaciam.[135] Hoc autem postulat ut revera liturgicae celebrationes *epiphania mysterii* sint. Ideo luculenter cultus divini naturam proferre debebunt simulque verum sensum testari Ecclesiae ipsius precantis ac mysteria divina celebrantis. Si ab omnibus congruenter celebrationes participabuntur propria secundum ministeria, non poterunt non dignitate splendere ac pulchritudine.

Exercentes Nosmet Ipsi proprium ministerium liturgicis celebritatibus primatum assignare voluimus, simul Romae simul apostolica per Nostra variis in continentibus ac nationibus itinera. Dum perficiebamus ut liturgiae christianae pulchritudo ac dignitas omnibus propriis significationibus effulgeret, provehere videlicet cogitabamus verum sanctificationis Dei nominis sensum ut religiosa fidelium affectio instrueretur atque ad transcendentiam aperiretur, unde venustas ac dignitas christianae liturgiae omnibus suis modis effulgeret.

Universos igitur Nostros Fratres Episcopos, tamquam fidei magistros ac supremi Christi sacerdotii participes, cohortamur ut omnibus viribus suis liturgiam revera promovere nitantur. Flagitat nempe illa ut ipsa celebrandi ratione veritas revelata perspicue enuntietur, divina fideliter transmittatur vita, sine ambiguitate genuina declaretur Ecclesiae natura. Sibi hinc omnes

[133] Cfr Pontificale Romanum, *Ritus Ordinationis Episcopi, Presbyterorum et Diaconorum*, Praefationes, 21, 108, 182.

[134] Cfr nn. 42-54.

[135] Cfr *Propositio* 17.

conscii momenti sint commemorationum sacrarum fidei catholicae mysteriorum. Fidei enim vitaeque christianae veritas non verbo solo traditur, sed sacramentalibus etiam signis atque liturgicis ritibus simul sumptis. Notissimum exstat hac in causa principium antiquum, quo *lex credendi* et *lex orandi* arctissime copulantur.[136]

Erit itaque omnis Episcopus in ipsa praesidendi arte exemplum ut se sciat *tractare mysteria*. Profundam quoque theologalem habeat vitam, quae rectam ei actionem quolibet cum sancta Dei Plebe in congressu suadeat. Transmittere noverit supernaturalem vocabulorum precationum rituum significationem, unde singuli in sanctorum mysteriorum participationem includantur. Insuper per solidam aptamque confirmationem pastoralis liturgicae actionis in dioecesi efficere pariter Episcopus debet ut veracem intellectum experimentumque liturgiae ministri et ipse populus assequantur, quo valeant fideles ad plenam et consciam, actuosam et frugiferam sanctorum mysteriorum participationem pertingere, prout Concilium Vaticanum II exoptat.[137]

Hac profecto ratione fient celebritates liturgicae, potissimum vero quibus in sua cathedrali aede praeest Episcopus, perlucidae fidei Ecclesiae pronuntiationes, tempora accommodatissima, quibus Christi mysterium fidelibus explicat Pastor quos deinceps adiuvabit ut inde laetificam percipiant experientiam operibus postea caritatis testificandam (cfr *Gal* 5, 6).

Pondere ipso perspecto integrae fidei traditionis sancta in Ecclesiae liturgia, vigilare aequabiliter Episcopus curabit diligenter ut ad fidelium commodum semper et ubique et ab omnibus liturgicae conserventur vigentes normae. Poscit hoc etiam firmam ac tempestivam malorum emendationem atque amotionem arbitrariorum in re liturgica iudiciorum. Quantum dein ab illo pendet vel eo agente cum Conferentiis episcopalibus et Commissionibus liturgicis permanentibus, operam idem dabit ut actionum liturgicarum decus ipsum verumque radiophonicis ac televisificis in diffusionibus custodiatur.

Praecipuus diei Dominici locus in anno liturgico

36. A Domino in suo praesenti mysterio veluti pervadi oportet Episcopi vitam ac ministerium. Ut in tota dioecesi primatus spiritalis catechisticus pastoralisque liturgiae promoveatur, maximam partem ab Episcopi exemplo pendet.

[136] *Legem credendi lex statuat supplicandi:* S. Caelestinus, *Ad Galliarum Episcopos*: *PL* 45, 1759.

[137] Cfr Const. de sacra Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, 11. 14.

Tamquam in centro huius mysterii sistit paschalis mysterii Christi celebratio Die Dominico. Prout crebrius iteravimus, etiam nuperius, ut indicium vehemens reddatur nostris temporibus propriae indolis christianorum, decet iterum principatum tribuere celebrationi Dominici Diei atque in ipso die Eucharistiae celebrationi. Dominicus Dies exstat qui habendus est « veluti praecipuus fidei dies, dies resuscitati Domini ac Spiritus Sancti doni, verum hebdomadae totius Pascha ».[138]

Praesens ipse Episcopus, qui Die Ecclesiae, videlicet Dominico, suo in templo cathedrali Eucharistiae praesidet sive in dioecesis paroeciis, signum praefulgere in exemplum fidelitatis erga mysterium Passionis, Mortis et Resurrectionis atque sperandi causa Populo Dei propria in peregrinatione a Dominico Die ad Dominicum Diem, ad octavum usque diem sine occasu Paschatis aeterni.[139]

Integrum Christi arcanum vivendo repetit Ecclesia liturgicum per annum: ab Incarnatione ac Nativitate Domini ad Ascensionem, Pentecostes diem usque ad exspectationem in spe reditus gloriosi Domini.[140] Curam, ut patet, singularem servabit Episcopus praeparando atque commemorando Triduo Paschali, quod est anni liturgici tamquam cor, una cum sollemni pervigilio Paschatis eiusque per quinquaginta Paschales dies prosecutione.

Adhiberi convenienter potest liturgicus annus suis cum statis eventibus ad operam pastoralem dioecesis vitae ordinandam circa Christi mysterium, dum in gloriam ipsius exspectatur reditus. Hoc in fidei itinere Ecclesia sustinetur Virginis Mariae recordatione, quae « in caelis corpore et anima iam glorificata [...] tamquam signum certae spei et solatii peregrinanti Populo Dei praelucet ».[141] Eadem haec exspectatio memoria alitur martyrum aliorumque sanctorum « qui per multiformem Dei gratiam ad perfectionem provecti, atque aeternam iam adepti salutem, Deo in caelis laudem perfectam decantant ac pro nobis intercedunt ».[142]

Eucharisticae celebrationis minister Episcopus

37. Intra medium ipsum *munus sanctificandi* Episcopi reperitur Eucharistia, quam ipse offert aut curat ut offeratur, et ubi potissimum eius ostenditur officium « oeconomi » seu administri gratiae supremi sacerdotii.[143]

[138] Ioannes Paulus II, Ep. Ap. *Novo millennio ineunte* (6 Ianuarii 2001), 35: *AAS* 93 (2001), 291.
[139] Cfr *Propositio* 17.
[140] Cfr Conc. Oecum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, 102.
[141] Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogmatica de Ecclesia *Lumen gentium*, 68.
[142] Conc. Oecum. Vat. II, Const. de sacra Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, 104.
[143] Cfr Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogmatica de Ecclesia *Lumen gentium*, 26.

Ante omnia Episcopus eucharistico coetui praesidendo, confert ad Ecclesiae aedificationem, ad mysterium communionis et missionis. Essentiale enim principium vitae est non singulorum modo christifidelium, verum ipsius in Christo communitatis. Praedicatione namque Evangelii congregati fideles communitatem constituunt, in qua reapse Ecclesia adest Christi, id quod evidentissime in ipsa Sacrificii eucharistici celebratione commonstratur.[144] Notissima quidem Concilii doctrina est: «In quavis altaris communitate, sub Episcopi sacro ministerio, exhibetur symbolum illius caritatis et unitatis Corporis mystici, sine qua non potest esse salus. In his communitatibus, licet saepe exiguis et pauperibus, vel in dispersione degentibus, praesens est Christus, cuius virtute consociatur una, sancta, catholica et apostolica Ecclesia. Etenim, non aliud agit participatio corporis et sanguinis Christi quam ut in id quod sumimus transeamus».[145]

Praeterea, de celebratione eucharistica quae «ut fons et culmen totius evangelizationis apparet»,[146] totum item manat missionale Ecclesiae officium, quod illuc tendit ut aliis mysterium in fide expertum testimonio vitae patefaciat.

Universa autem inter haec pastoralis ministerii Episcopi munia, cogit magis et premit Eucharistiae celebrandae officium. Eius praeterea est, sicut principalium munerum unum, videre ut fidelibus praebeatur ad Domini mensam accedendi facultas, Dominico maxime die, qui — uti modo commemoravimus — dies ille est quo filiorum Dei communitas ac familia, Ecclesia, propriam suam naturam detegit christianam circum sacerdotes suos.[147]

Quibusdam nihilominus in regionibus, sive propter sacerdotum paucitatem seu alias ob graves perpetuasque causas, provideri non potest eucharisticae celebrationi opportuna crebritate. Obligationem hoc Episcopi auget, instar patris familias ac ministri gratiae, ut veras diligenter comprehendat necessitates atque condicionum gravitatem. Erit opus ut ad sapientem procedatur partitionem membrorum presbyterii ne similibus in extremis casibus diutius eucharistica celebratione careant communitates.

Si vero omnino Missa Sancta deficit, faciet Episcopus ut eadem communitas, semper praestolans plenitudinem congressionis cum Christo in pascha-

[144] Cfr Ioannes Paulus II, Litt. Enc. *Ecclesia de Eucharistia* (17 Aprilis 2003), 21: *AAS* 95 (2003), 447-448.

[145] Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 26.

[146] Conc. Oecum. Vat. II, Decr. de presbyterorum ministerio et vita *Presbyterorum ordinis*, 5.

[147] Cfr Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 28; Ioannes Paulus II, Litt. Enc. *Ecclesia de Eucharistia* (17 Aprilis 2003), 41-42: *AAS* 95 (2003), 460-461.

lis Mysterii commemoratione, saltem diebus dominicis ac festivis peculiarem aliquam celebrationem exspectare possint. Tum fideles, praesidentibus idoneis administris, dono frui valebunt verbi proclamati atque Eucharistiae communione, per aptatas ac praeparatas dominicalium coetuum celebrationes absente presbytero.[148]

Initiationis christianae auctor Episcopus

38. Hodiernis in Ecclesiae ac mundi condicionibus, simul in Ecclesiis iunioribus simul in civitatibus ubi christianum nomen iam plura saecula insertum est, providentialis videtur restitutio, in adultis potissimum hominibus, magnae traditionis disciplinae christianae initiationis. Fuit hoc providum Concilii Vaticani II consilium,[149] quod hoc pacto tramitem afferre voluit congressionis cum Christo et Ecclesia tot viris ac mulieribus, gratia Spiritus tactis quidem cupidisque sese coniungendi cum salutis in Christo mysterio, qui pro nobis obiit ac resurrexit.

Hoc per initiationis christianae iter catechumeni paulatim in Christi mysterii atque Ecclesiae cognitionem inducuntur, similiter atque in origine, progressione et augmento naturalis vitae. Baptismate enim renati fideles participesque effecti regalis sacerdotii roborantur Confirmatione, cuius primarius est Episcopus dispensator, sicque unicam recipiunt Spiritus donorum profusionem. Communicantes deinde Eucharistiam cibo aeternae nutriuntur vitae ac plene in Ecclesiam Christi Corpus Mysticum inseruntur. Ita fiet ut christifideles « hisce initiationis christianae sacramentis thesauros vitae divinae magis magisque percipiant atque ad perfectionem caritatis progrediantur ».[150]

Ratione propterea horum nostrorum temporum habita Episcopi exsequentur *Ritus christianae initiationis adultorum* praescripta. Operamque dabunt ut singulis in dioecesibus structurae adsint necnon operarii pastorales necessarii ad normas eas implendas dignissimo quidem atque efficacissimo modo, tum etiam regulas disciplinae liturgicae catechisticae pastoralis christianae initiationis nostrorum temporum accommodatae ad postulata.

Suapte videlicet natura progredientis illius intromissionis in Christi Ecclesiaeque mysterium, mysterium scilicet quod in quaque vivit et agit parti-

[148] Cfr Congregatio pro Clericis (et aliae), Instr. interdicasterialis de quibusdam quaestionibus circa cooperationem christifidelium laicorum in ministerio presbyterorum *Ecclesiae de mysterio* (15 Augusti 1997), Practicae dispositiones, art. 7: *AAS* 89 (1997), 869-870.

[149] Cfr Const. de sacra Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, 64.

[150] Paulus VI, Const. Ap. *Divinae consortium naturae* (15 Augusti 1971): *AAS* 63 (1971), 657.

culari Ecclesia, iter christianae initiationis praesentiam deposcit ac ministerium Episcopi dioecesani, praesertim in summa illius viae et perfecta parte — nempe in sacramentis Baptismi Confirmationis Eucharistiae conferendis, id quod plerumque Paschali in vigilia contingit.

Officium similiter est Episcopi gubernare ex Ecclesiae lege omnia ea quae ad parvulorum et iuvenum christianam attinent initiationem, dum res eorum de congrua catechetica institutione disponit atque eorum paulatim ingressu in communitatis vitam. Vigilare haud minus debebit ut quidam forsitan catechumenatus cursus vel renovationis et incitationis in christianae initiationis semitis vel consortionis, iis cum fidelibus qui a communi vita fidei communitariaque recesserunt, secundum normas Ecclesiae perficiantur plane scilicet cum communitatum vita paroecialium dioecesis consentientes.

Quod denique ad sacramentum spectat Confirmationis, videbit Episcopus, qui primus est eius minister, ut plerumque ipsemet illud conferat. Praesens enim ipse paroecialem apud communitatem, quae propter Baptismatis fontem ac Mensam Eucharisticam locus naturalis et ordinarius itineris initiationis christianae exstat, evocat vehementer Pentecostes mysterium ac maximam addit utilitatem ad vincula ecclesialis communionis inter pastorem ac fideles firmanda.

Episcopi officia de disciplina paenitentiali

39. Interloquentes synodales Patres considerationem peculiarem disciplinae paenitentiali dicaverunt, cuius pondus efferebant eandemque simul peculiarem inculcabant curam quam Episcopi, ut Apostolorum successores, operae pastorali disciplinaeque sacramento reconciliationis devoveant oportet. Gaudentes quidem audivimus Nos ab iis denuo id affirmari quod Nobis est penitus persuasum, maximam curationem pastoralem huic Ecclesiae sacramento reservari debere, origini videlicet reconciliationis et pacis et laetitiae nobis universis, quibus misericordia Domini est opus atque peccati vulnerum sanatione.

Ad Episcopum, primam nempe auctoritatem super paenitentiali disciplina propria in particulari Ecclesia, in primis munus *kerygmaticum* pertinet ad conversionem atque paenitentiam invitandi. Evangelica cum libertate eius officium est demonstrare tristem, immo exitiosam peccati praesentiam hominum in vita necnon communitatum annalibus. Nuntiare eodem tamen tempore eum mysterium oportet imperscrutabile misericordiae, quam in Cruce ac Resurrectione sui Filii Iesu Christi Deus est elargitus atque in Spiritus effusione

ad peccata condonanda. Evangelii quasi cor et centrum hic nuntius constituit qui incitamentum pariter ad reconciliationem est ad spemque vocatio. Prima enim Apostolorum nuntiatio Pentecostes die est, in qua ipsa manifestatur significatio gratiae ac salutis, quae per sacramenta participantur.

Accommodis sane modis minister Episcopus conspicuum exemplar erit reconciliationis sacramenti ipseque saepe fideliterque ad idem sacramentum decurret. Nec suos cessabit sacerdotes commonere ut reconciliationis ministerium, sacerdotali Ordinatione receptum, magni existiment, adhortans nempe eos ut eodem fungantur libenter ministerio affectuque supernaturali, dum Patrem imitantur qui ad paternam domum remigrantes suscipit necnon Christum ipsum Bonum Pastorem qui humeris suis ovem reportat errantem.[151]

Complectitur Episcopi obligatio officium quoque invigilandi, ne absolutionis generalis usus regulas iuris excedat. Quo de argumento iam in Litteris Apostolicis motu proprio datis *Misericordia Dei* docuimus Episcoporum esse disciplinam vigentem repetere, ex qua personalis confessio integraque et absolutio unicum modum ordinarium perstare, quo christifidelis peccati gravis conscius cum Deo atque cum Ecclesia conciliatur. Impedimentum dumtaxat physicum aut morale a tali liberat ordinaria via, quo in casu poterit aliis modis obtineri reconciliatio. Commonefacere non omittet Episcopus omnes, quibus animarum cura est ex munere commendata, etiam officii illius, quo fidelibus opportunitas praebetur ad singularem confessionem peccatorum accedendi.[152] Accuratissime pariter comprobabit num fidelibus facillimae dentur occasiones ut confiteri possint peccata.

Ad Traditionis Ecclesiaeque Magisterii lucem arta coniunctione aestimata inter Reconciliationem atque Eucharistiae participationem, magis hodie necessarium videtur fidelium conformare conscientias, ut eucharisticum convivium digne ac fructuose appropinquantes in gratiae statu communicent.[153]

Meminisse insuper iuvat Episcopi esse consentanea ratione atque prudenti ministrorum idoneorum electione regere totam disciplinam, quae exorcismorum exercitationem moderetur necnon precationum celebrationes ad impetrandas sanationes, recentibus Sanctae Sedis observatis documentis.[154]

[151] Cfr *Propositio* 18.

[152] Cfr Litt. Ap. motu proprio datae *Misericordia Dei* (7 Aprilis 2002), 1: *AAS* 94 (2002), 453-454.

[153] Cfr *Propositio* 18.

[154] Cfr Rituale Romanum, *Ritus exorcismorum* (22 Novembris 1998), Città del Vaticano 1999; Congregatio pro Doctrina Fidei, Instr. de orationibus ad sanationem a Deo exposcendam (14 Septembris 2000): *L'Osservatore Romano*, 24 Novembris 2000, p. 6.

Pietas popularis reverenda

40. Momentum iteraverunt synodales Patres quod in transmittenda atque enucleanda fide pietas obtinet popularis. Ipsa enim, quem ad modum etiam Decessor Noster venerandae memoriae Paulus VI praedicavit, abundat bonis tam coram Deo quam coram fratribus,[155] ita sane ut thesaurum spiritalis vitae in communitatum christiani nominis vita verum ac proprium efficiat.

Nostris quoque diebus, cum universalis percipitur spiritalis vitae sitis, quae homines adducit multos ut religiosis sectis adhaereant atque aliis adumbrati alicuius spiritualismi formis, monentur Episcopi ut inveniant provehantque utilitates ac verae pietatis popularis formas.

Valent semper ea quae in Adhortatione Apostolica *Evangelii nuntiandi* sunt edicta: «Pastoralis caritatis est illis omnibus, quos Dominus Ecclesiae communitatibus praeposuit, rectas agendi normas suadere ad tantam rem accurandam quae tam fructibus uber quam periculis obnoxia est. Ante omnia molliores quis sensu oportet moveatur menteque exercitata in interioribus eius elementis eiusque haud infitiandis bonis detegendis, promptoque animo ad eam sustinendam, ut suorum discrimina errorum propulsare valeat. Cum bene dirigitur, popularis eiusmodi religiositas magis magisque conferre potest, ut nostrae vulgi multitudines Deo in Christo Iesu revera occurrant».[156]

Hunc propterea religiosum sensum recte dirigere decet eiusque pro re nata significationes perpurgare secundum fidei vitaeque christianae principia. Ducente immo pietate populari perducantur fideles oportet ad singularem cum Christo conventum, ad consortium cum Beata Virgine Maria et Sanctis, praesertim per verbi Dei auditionem, recursum ad precationem, vitae sacramentalis participationem, caritatis atque operum misericordiae testificationem.[157]

Ut autem amplior habeatur deliberatio his de rebus, et ut utillima copia praesto sit admonitionum theologicae, pastoralis et spiritalis indolis, placet Nobis ad documenta referre a Sede Apostolica hac in materie prolata, ubi rursus docetur omnes pietatis popularis formas Episcopi subiacere auctoritati propria in dicione. Ad eum pertinet illas gubernare atque etiam promovere secundum adiumentum quod dare fidelibus pro christiana vita possunt, purgare ubi opus sit, easdemque Evangelii spiritu imbuere.[158]

[155] Cfr Adhort. Ap. *Evangelii nuntiandi* (8 Decembris 1975), 48: *AAS* 68 (1976), 37-38.

[156] *Ibid.*

[157] Cfr *Propositio* 19.

[158] Cfr Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, *Direttorio su pietà popolare e liturgia* (17 Decembris 2001), 21: Città del Vaticano, 2002, 28-29.

Ad sanctitatem incitamentum fidelibus cunctis

41. Populi Dei sanctimonia, ad quam Episcopi destinatur sanctificationis ministerium, gratiae divinae munus est atque indicium Dei principatus in Ecclesiae vita. Suo itaque in ministerio sine intermissione provehere ipse debebit veram ac propriam actuositatem pastoralem ac paedagogicam sanctitatis; enitetur totam propositionem in actum deducere capituli quinti Constitutionis *Lumen gentium* de universali vocatione ad sanctitatem.

Eandem hanc rerum ordinationem universae Ecclesiae ineunte tertio millennio proponere voluimus, tamquam primariam pastoralem curam atque effectum simul magni Iubilaei Incarnationis.[159] Hodie namque etiam sanctitas est temporum signum, veritatis christianismi documentum quae auctoribus ipsius effulget in melioribus, tum iis qui magno quidem numero ad altarium sunt elevati honores tum in iis multo pluribus qui clam annales hominum fecundaverunt atque etiamnum fecundant humili laetaque cotidianae vitae sanctimonia. Nostris etiam diebus testificationes minime desiderantur praestantes sanctitatis formarum, tam singulorum quam communitatum, quae omnibus, atque novis aequabiliter aetatibus, spei sunt indicia.

Testificatio ideo sanctitatis ut conspiciatur, Fratres Nostros Episcopos exhortamur ut colligere studeant atque illustrare documenta sanctitatis virtutumque heroicarum, hodie quoque quae ostenduntur, potissimum cum laicos fideles eorum dioecesium tangunt, in primis coniuges christianos. Ubicumque vero visum erit, illos hortamur ut congruos processus canonizationis provehant.[160] Cunctis namque hoc esse poterit signum spei atque, pro Populi Dei itinere complendo, quaedam impulsus causa ad illam testificationem, quam coram universo orbe proferre debet de perpetua gratiae praesentia in eventuum humanorum complexu.

[159] Cfr Ep. Ap. *Novo millennio ineunte* (6 Ianuarii 2001), 29-41: *AAS* 93 (2001), 285-295.
[160] Cfr *Propositio* 48.

Caput V

PASTORALIS MODERATIO EPISCOPI

« *Exemplum... dedi vobis* » (*Io* 13, 15)

42. Concilium Oecumenicum Vaticanum II de munere tractans gubernandi familiam Dei deque sumenda continuata cotidianaque cura gregis Domini Iesu explanat: Episcopi in exercendo suo munere patrum ac pastorum in medio suorum fidelium oportet agant sicut « qui ministrant », semper ante oculos tenentes Pastoris Boni exemplum, qui non venit ministrari sed ministrare et dare vitam suam pro ovibus (cfr *Mt* 20, 28; *Mc* 10, 45; *Lc* 22, 26-27; *Io* 10, 11).[161]

Haec Iesu imago, summum Episcopi exemplum, in ritu lavandi pedes suam invenit eloquentem expressionem, in Evangelio secundum Ioannem enarrato: « Ante diem autem festum Paschae, sciens Iesus quia venit eius hora, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Et in cena [...] surgit [...] et ponit vestimenta sua et, cum accepisset linteum, praecinxit se. Deinde mittit aquam in pelvem et coepit lavare pedes discipulorum et extergere linteo, quo erat praecinctus [...]. Postquam ergo lavit pedes eorum et accepit vestimenta sua, cum recubuisset iterum, dixit eis [...] Exemplum enim dedi vobis, ut, quemadmodum ego feci vobis, et vos faciatis » (13, 1-15).

Contemplemur igitur Iesum hunc gestum adimplentem, qui nobis clavem offerre videtur ad comprehendendum ipsius « esse » eiusque missionis, eius vitae eiusque mortis. Contemplemur etiam Iesu amorem, qui in actionem, in gestus definitos convertitur. Contemplemur Iesum qui usque ad summum formam servi radicitus sumit (cfr *Philp* 2, 7). Ipse, Magister et Dominus, qui a Patre omnia in suas manus accepit, usque in finem nos dilexit, usque ad se ipsum in hominum manus omnino tradendum, ab illis accipiens omnia quae postea illi facturi erant cum Illo. Hic Iesu ritus est gestus amoris in adiunctis institutionis Eucharistiae adimpletus atque in claro conspectu passionis et mortis. Est gestus revelator sensus Incarnationis, sed, magis etiam, ipsius essentiae Dei. Deus est amor et hanc ob rem formam sumpsit servi: Deus in famulatu hominis se posuit ut hominem ad plenam afferat cum Ipso communionem.

[161] Cfr Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 27; Decr. de pastorali Episcoporum munere in Ecclesia *Christus Dominus*, 16.

Si hic est, igitur, Magister et Dominus, sensus ministerii atque ipsius « esse » illius qui est vocatus, velut Duodecim, ad ingrediendam in maximam cum Deo necessitudinem, non potest constare nisi in tota atque absoluta erga alios promptitudine, tum erga eos qui ex hoc sunt ovili, tum erga illos qui nondum ad illud pertinent (cfr *Io* 10, 16).

Auctoritas muneris pastoralis Episcopi

43. Episcopus nomine Christi missus est veluti pastor ad quandam Populi Dei portionem curandam. Ille efficere debet ut per Evangelium et Eucharistiam ea sicut vera communitas crescat in Spiritu Sancto.[162] Quam ob rem Episcopus vices gerit Ecclesiae sibi concreditae eamque gubernat necessaria praeditus potestate ad munus pastorale exercendum in sacramento acceptum, velut participatione istius Christi consecrationis atque missionis.[163] Huius vi Episcopi « Ecclesias particulares sibi commissas ut vicarii et legati Christi regunt, consiliis, suasionibus, exemplis, verum etiam auctoritate et sacra potestate, qua quidem nonnisi ad gregem suum in veritate et sanctitate aedificandum utuntur, memores quod qui maior est fiat sicut minor et qui praecessor est sicut ministrator (cfr *Lc* 22, 26-27) ».[164]

Haec Concilii verba mirabile exstant summarium catholicae doctrinae circa pastoralem Episcopi moderationem atque in ritu Ordinationis episcopalis adhibentur: « Episcopatus enim nomen est operis, non honoris, et Episcopum magis prodesse quam praeesse oportet »,[165] secundum Magistri mandatum. Hic adest fundamentale principium ob quod in Ecclesia, secundum sancti Pauli effatum, auctoritas est in Populi Dei aedificationem et non in eius destructionem (cfr *2 Cor* 10, 8). Aedificatio gregis Christi in veritate et in sanctitate ab Episcopo poscit, sicut saepius in aula synodali dictum est, aliquas proprietates, inter quas vitae exemplum, facultatem ad germanam veramque cum aliis necessitudinem, ingenium ad excitandam et augendam operam consociatam, animi bonitatem et patientiam, comprehensionem et compassionem pro miseriis animi corporisque, indulgentiam et veniam. Agi-

[162] Cfr Conc. Oecum. Vat. II, Decr. de pastorali Episcoporum munere in Ecclesia *Christus Dominus*, 11; *Codex Iuris Canonici*, can. 369; *Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium*, can. 177 § 1.

[163] Cfr Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 27; Decr. de pastorali Episcoporum munere in Ecclesia *Christus Dominus*, 8; *Codex Iuris Canonici*, can. 381 § 1; *Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium*, can. 178.

[164] Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 27.

[165] Pontificale Romanum, *Ritus Ordinationis Episcopi*: propositum homiliae.

tur revera de significando, quam aptissime, summo exemplo quod est Iesus pastor bonus.

Episcopi vera potestas luce Pastoris Boni illuminatur atque eius exemplo formatur. Nomine Christi exercita, ista est « propria, ordinaria et immediata, licet a suprema Ecclesiae auctoritate exercitium eiusdem ultimatim regatur et certis limitibus, intuitu utilitatis Ecclesiae vel fidelium, circumscribi possit. Vi huius potestatis Episcopi sacrum ius et coram Domino officium habent suis subditis leges ferendi, iudicium faciendi, atque omnia, quae ad cultus apostolatusque ordinem pertinent, moderandi ».[166] Episcopus igitur, vi officii quod accepit, potestate fruitur iuridica obiectiva, designata ad se exprimendam in actibus potestatis per quos exercet munus pastorale in Sacramento acceptum.

Episcopi tamen gubernatio pastorali ratione erit efficax — quod dicendum est etiam hoc in casu — si morali innititur auctoritate ex eius vitae sanctitate deprompta. Ista erit ad disponendos animos ut Evangelium accipiant ab illo in Ecclesia nuntiatum, veluti etiam normas ab illo pro Populi Dei dono statutas. Hanc ob rem monebat sanctus Ambrosius: « Nihil in sacerdotibus plebeium requiri, nihil populare, nihil commune cum studio atque usu et moribus inconditae multitudinis. Sobriam a turbis gravitatem, seriam vitam, singulare pondus dignitas sibi vindicat sacerdotalis ».[167]

Exercitatio auctoritatis in Ecclesia intellegi non potest veluti quiddam impersonale et officiale, quia agitur de auctoritate quadam, quae etiam ex testimonio nascitur. In omnibus Episcopi dictis et factis auctoritas verbi et actionis Christi est revelanda. Si deesset auctoritas sanctitatis vitae Episcopi, eius testificatio scilicet fidei, spei caritatisque, eius gubernatio, ut manifestatio operantis praesentiae Christi in eius Ecclesia, magis difficulter a Populo Dei accipi posset.

Ministri per Domini voluntatem apostolicae notae Ecclesiae ac potentia induti Spiritus principalis, qui regit et ducit, Episcopi Apostolorum sunt successores non solum in auctoritate atque in sacra potestate, sed etiam in forma vitae apostolicae, in difficultatibus apostolicis per Evangelii nuntiationem divulgationemque, in cura tenera et misericordiosa fidelium sibi concreditorum, in defendendis tenuibus, in constanti cura Populi Dei.

In synodali aula memoratum est, exercitium auctoritatis in Ecclesia, post Concilium Oecumenicum Vaticanum II, saepe difficile esse videri. Eiusmodi

[166] Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 27; cfr *Codex Iuris Canonici*, can. 381 § 1; *Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium*, can. 178.

[167] *Ad Irenaeum*, *Epistulae*, lib. I, ep. VI: *Sancti Ambrosii Episcopi Mediolanensis Opera*, Milano-Roma 1988, 19, p. 66.

condicio, etiamsi nonnullae graviores difficultates videntur superatae, adhuc manet. Ponitur igitur quaestio, quomodo necessarium ministerium auctoritatis melius intellegatur, recipiatur et adimpleatur. Ad hoc quod pertinet, prima responsio ex ipsa natura ecclesialis auctoritatis oritur: haec est — et qua talis quam clarissime demonstrari debet — participatio missionis Christi, in humilitate, deditione et ministerio vivenda et exercenda.

Aestimatio auctoritatis Episcopi non in exterioribus rebus significatur, sed in pervestigatione sensus theologici, spiritalis et moralis eius ministerii, apostolicitatis innixi charismate. Quod dictum est in aula synodali circa imaginem lotionis pedum, atque nexum qui, in contextu rerum, inter figuram servi institutus est et figuram pastoris, episcopatum demonstrat vere honorem esse cum ministerium exercet. Unusquisque igitur Episcopus sibi ipsi debet verbum Domini referre: «Scitis quia hi, qui videntur principari gentibus, dominantur eis, et principes eorum potestatem habent ipsorum. Non ita est autem in vobis, sed quicumque voluerit fieri maior inter vos, erit vester minister, et quicumque voluerit in vobis primus esse, erit omnium servus; nam et Filius hominis non venit, ut ministraretur ei, sed ut ministraret et daret animam suam redemptionem pro multis» (*Mc* 10, 42-45). Memor horum Domini verborum, Episcopus gubernat cum corde servi humilis et pastoris amantis, qui suum ducit gregem, gloriam Dei et animarum salutem quaerens (cfr *Lc* 22, 26-27). Hoc modo exercita, forma gubernationis Episcopi ubique terrarum unica est.

Memoratus iam est locus Constitutionis *Lumen gentium*, in quo dicitur: «Episcopi Ecclesias particulares sibi concreditas veluti vicarii et Christi legati regunt consiliis, suasionibus, exemplis».[168] Quae verba non opponuntur iis quae sequuntur, cum Concilium addit quod Episcopi regunt «consiliis, suasionibus, exemplis, verum etiam auctoritate et sacra potestate».[169] Agitur revera de «sacra potestate» quae praecipue in morali consistit auctoritate qua Episcopus insignitur vigore suae sanctitatis vitae. Haec enim exsecutionem totius eius actionis regiminis iuvat eamque efficacem reddit.

Pastoralis regiminis modus et dioecesana communio

44. Ecclesialis communio qua Episcopus afficitur, adducet eum ad quemdam pastoralem modum usque apertiorem, participata cum omnibus opera. Adest genus quoddam circularis actionis inter ea quae Episcopus

[168] N. 27.
[169] *Ibid.*

vocatur ad decernenda cum responsalitate personali pro bono Ecclesiae eius curae concreditae atque operam quam fideles illi offerre possunt per coetus consultationis, qui sunt: synodus dioecesana, consilium presbyterale, consilium episcopale, consilium pastorale.[170]

Patres synodales non omiserunt commemorare hos modos exercitationis moderaminis episcopalis, per quos actio pastoralis dioecesis ordinatur.[171] Ecclesia particularis revera non refertur tantummodo ad triplex munus episcopale, sed etiam ad triplicem missionem propheticam, sacerdotalem et regalem totius Populi Dei. Cuncti fideles, virtute Baptismatis, participant, modo sibi proprio, triplex *munus* Christi. Eorum realis aequitas in dignitate atque in actione ita efficit, ut omnes ad consociatam operam vocentur in aedificando Christi Corpore, ad efficiendam scilicet missionem quam Deus Ecclesiae in terrarum orbe concredidit, secundum propriam cuiusque condicionem et munus.[172]

Omnis modus differentiae inter fideles secundum diversa charismata, officia, ministeria in famulatu ordinatur aliorum populi Dei membrorum. Differentia ontologica-functionalis, quae Episcopum collocat « coram » aliis fidelibus, in fundamento plenitudinis sacramenti Ordinis quod accepit, *esse* significat *pro* aliis fidelibus, quod eum non extrahit ex eius *esse cum* istis.

Ecclesia communitas est organica, quae in dispositione efficitur diversorum charismatum, ministeriorum et famulatuum, ut propositum adimpleatur quod est salus. Episcopus qui curat hanc efficiendam unitatem in diversitate, fovet, sicut in Coetu synodali dictum est, diversorum operatorum synergiam, ita ut liceat simul commune percurrere fidei missionisque iter.[173]

His dictis tamen, oportet addere munus Episcopi redigi non posse ad officium meri moderatoris. Episcopale munus suapte natura clarum implicat atque inaequivocum ius-officium moderaminis, in quo etiam elementum includitur iurisdictionis. Pastores sunt publici testes atque eorum potestas testandi fidem suam attingit plenitudinem in potestate iudicandi: Episcopus non solum vocatur ad fidem testificandam, sed etiam ad eam existimandam eiusque manifestationes ex parte fidelium pastoralibus suis curis creditorum moderandas. Hoc in suo adimplendo munere ille maximopere contendet ad suscitandum suorum fidelium consensum, sed noverit tandem se ea capturum

[170] Cfr *Codex Iuris Canonici*, cann. 204 § 1; 208; 212 §§ 2,3; *Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium*, cann. 7 § 1; 11; 15 §§ 2,3.

[171] Cfr *Propositio* 35.

[172] Cfr Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 32; *Codex Iuris Canonici*, can. 204 § 1; 208.

[173] Cfr *Propositio* 35.

esse consilia quae necessaria suae pastoris conscientiae videbuntur, sollicitum praesertim de futuro Dei iudicio.

Ecclesialis communio in sua structura personalem implicat Episcopi responsalitatem, sed etiam omnium ordinum fidelium secum fert participationem, quia responsalitatem communicant boni Ecclesiae particularis quam ipsi formant. Id quod auctoritatem huius communionis organicae confirmat, Spiritus Sancti est actio, qui operatur tum in responsalitate personali Episcopi tum in participatione fidelium. Spiritus quidem, aequalitatem instituens baptismalem omnium fidelium sicut etiam uniuscuiusque diversitatem charismaticam et ministerialem, potestatem habet communionem efficaciter exsequendi. Horum principiorum vi Synodi dioecesanae reguntur, quarum canonica indoles, in cann. 460-468 Codicis Iuris Canonici instituta, in *Instructione interdicasteriali* die 19 Martii anno 1997 est definita.[174] Secundum essentiam harum normarum se gerere tenebuntur alii etiam coetus dioecesani, quibus Episcopus praeerit, a sua peculiari responsalitate numquam abdicans.

Si in Baptismate unusquisque christianus amorem accipit Dei per Spiritus Sancti effusionem, Episcopus — uti Coetus synodalis opportune memoravit — per sacramentum Ordinis suo in corde pastoralem Christi caritatem accipit. Haec pastoralis caritas finem proprium habet, ut communionem instituat.[175] Antequam hic amor-communio ad lineamenta actionis perducatur, Episcopus contendat ut eum proprio in corde et in corde Ecclesiae praesentem reddat per vitam vere spiritalem.

Si communio essentiam exprimit Ecclesiae, aequum est ut spiritalis vitae communionis ad sese manifestandum tendat tum in ambitu personali tum communitario, novas semper suscitans formas participationis atque corresponsalitatis apud varios fidelium ordines. Episcopus igitur sua in Ecclesia particulari suscitare conabitur structuras communionis atque participationis, quae permittant ut Spiritus auscultetur qui vivit et loquitur in fidelibus, illosque dirigat ad exsequendum quidquid idem Spiritus pro vero Ecclesiae bono inspirat.

Ecclesiae particularis varietates

45. Multi Patrum synodalium interventus ad varios pertinebant aspectus et tempora dioecesis vitae. Ita, sedulam mentem conversa est ad Curiam

[174] Cfr *AAS* 89 (1997), 706-727. Similis sermo de Congressionibus eparchialibus est habendus, de quibus agunt cann. 235-242 *Codicis Canonum Ecclesiarum Orientalium*.

[175] Cfr *Propositio* 35.

dioecesanam, structuram scilicet qua Episcopus utitur ad exprimendam propriam caritatem pastoralem eius in variis aspectibus.[176] Memorata est, singillatim, opportunitas ut administratio oeconomica dioecesis concredatur illis qui praeter honestatem peritia sunt praediti, ita ut proponi possit sicut exemplum perspicuitatis omnibus aliis huiusmodi institutionibus ecclesialibus. Si in dioecesi vivitur spiritalis vitae communio, fieri non poterit, quin singularis praestetur cura de paroeciis et communitatibus pauperioribus, pro viribus laborando ut pars quaedam facultatum oeconomicarum indigentioribus servetur Ecclesiis, praesertim in terris missionis et migrationis.[177]

Ad paroecias tamen convenienter Patres synodales animum intendere censuerunt, memores Episcopum esse primum responsalem huius communitatis, quae eminet inter omnes in dioecesi praesentes, cui illius est sedulo prospicere.[178] Paroecia revera — sicut saepe dictum est — adhuc in vita cotidiana dioecesis nucleus manet fundamentalis.

Pastoralis visitatio

46. Hoc in conspectu pondus emergit Visitationis pastoralis, germinum gratiae tempus atque peculiare momentum, immo unum, ratione habita conventus et colloquiorum Episcopi cum fidelibus.[179] Episcopus Bartholomaeus a Martyribus, quem Nos Ipsi, paucis diebus ab expleta Synodo, beatum declaravimus, suo in classico scripto *Stimulus Pastorum*, quod ipse Carolus Borromeus magni aestimavit, pastoralem Visitationem definit *quasi animam episcopalis regiminis* et efficaciter eam describit veluti productionem ipsius spiritalis praesentiae Episcopi inter suos fideles.[180]

Dum pastoralem visitationem paroeciae peragit, aliis delegatis relicto examine quaestionum administrationis, Episcopus colloquia praeoptet cum personis, a parocho aliisque sacerdotibus incipiens. Hoc est momentum quo ille propius pro populo munus implet verbi, sanctificationis atque pastoralis moderaminis, directe sentiens timores et difficultates, gaudia et exspectationes hominum atque omnes hortans ad spem. Hic maxime Episcopus directam habet necessitudinem cum pauperioribus, senibus et aegrotis. Tali modo effecta, pastoralis Visitatio ostenditur uti est, nempe signum praesentiae Domini, qui suum populum in pace invisit.

[176] Cfr *Propositio* 36.
[177] Cfr *Propositio* 39.
[178] Cfr *Propositio* 37.
[179] Cfr *ibid.*
[180] Cfr Romae 1572, p. 52 v.

Episcopus suo cum presbyterio

47. Non sine causa decretum conciliare *Christus Dominus*, dum particularem describit Ecclesiam, eam definit veluti fidelium communitatem curae pastorali Episcopi creditam *cum cooperatione presbyterii*.[181] Exstat, revera, inter Episcopum et presbyteros *communio* e *sacramento* exoriens, virtute scilicet sacerdotii ministerialis vel hierarchici, quae participatio est unici sacerdotii Christi, et hanc ob rem, etiamsi diverso in gradu, virtute suffulta unius ministerii ecclesialis ordinati et unicae missionis apostolicae.

Presbyteri, et inter eos praesertim parochi, artiores cooperatores sunt ministerii Episcopi. Patres synodales adhortationes et invitationes renovaverunt, iam scriptas in documentis conciliaribus et nuperius receptas in Adhortatione Apostolica *Pastores dabo vobis*,[182] ad peculiarem indolem necessitudinum inter Episcopum et eius presbyteros. Episcopus semper suis cum sacerdotibus sese gerere curabit veluti patrem et fratrem qui eos diligit, eos audit, eos excipit, eos corrigit, eos consolatur, eorum quaerit cooperationem et, quantum fieri potest, eorum bono humano, spiritali, ministeriali et oeconomico sedulo consulit.[183]

Peculiaris Episcopi affectus pro suis sacerdotibus manifestatur sicut paternus et fraternus actus, quo eos comitatur in praecipuis momentis eorum vitae ministerialis, inde ab exordiis ministerii pastoralis. Fundamentalis manet permanens presbyterorum formatio, quae pro omnibus uti « vocationem in vocatione » constituit, quia, suis in variis et additiciis aspectibus, ad adiuvandum tendit presbyterum ut sit et sicuti presbyterum se gerat secundum exemplum Iesu.

Unusquisque Episcopus dioecesanus inter sua prima officia spiritalem habet curam de eius presbyterio: « Ritus sacerdotis qui die Ordinationis presbyteralis proprias ponit manus in manus Episcopi, illi promittens "filialem venerationem et oboedientiam", primo aspectu videri potest ritus unius sensus. Ritus re vera utrumque obligat: sacerdotem et Episcopum. Iuvenis presbyter decernit se Episcopo confidere et Episcopus, ex parte sua, ad has manus custodiendas se obligat ».[184]

Duobus in aliis momentis, addere velimus, presbyter iuste manifestationem potest exspectare peculiaris propinquitatis ex parte sui Episcopi. Pri-

[181] N. 11.

[182] Cfr nn. 16-17: *AAS* 84 (1992), 681-684.

[183] Cfr *Propositio* 40.

[184] Ioannes Paulus II, *Allocutio* ad coetum Episcoporum nuper electorum (23 Septembris 2002), 4: *L'Osservatore Romano* (23-24 Septembris 2002), p. 5.

mum evenit cum illi pastoralis concreditur missio, sive hoc primum contingit sicut in casu sacerdotis nuper ordinati, sive in commutatione ministeriali vel pro collatione novi mandati pastoralis. Collatio missionis pastoralis est, pro ipso Episcopo, peculiare tempus paternae responsalitatis erga eius presbyterum. Sanctus Hieronymus verba proponit quae bene ad hanc occasionem referri possunt: « Quod Aaron et filios eius, hoc esse Episcopum et presbyteros noverimus. Unus Dominus, unum templum, unum sit etiam ministerium. [...] Gloria patris nonne est filius sapiens? Gaudeat Episcopus iudicio suo, cum tales Christo elegerit sacerdotes ».[185]

Alterum momentum occurrit cum sacerdos, provectae aetatis causa, effectivum relinquit pastorale moderamen communitatis vel directae responsalitatis officia. In his similibusque rerum adiunctis, Episcopus ita faciat ut sacerdos sentiat tum gratitudinem Ecclesiae particularis de apostolicis laboribus hucusque expletis, tum peculiarem rationem novae collocationis in presbyterio dioecesano: ille enim servat, immo auctam videt, possibilitatem conferendi ad aedificationem Ecclesiae per exemplare testimonium magis assiduae orationis et alacrioris propensionis acquisitae peritiae utilitati iuniorum confratrum impensae. Sacerdotibus insuper qui in eadem versantur condicione propter gravem morbum vel aliam ob formam diuturnae defectionis, Episcopus ostendet propriam fraternam proximitatem, eos adiuvans ad vivam servandam conscientiam « se pergere esse membra nava in Ecclesiae aedificatione, etiam et potissimum propter suam cum Christo patienti communionem aeque cum tot fratribus sororibusque qui in Ecclesia Passionem Domini participant ».[186]

Episcopus etiam prece atque sedula compassione comitabitur sacerdotes qui, quacumque de causa, in dubio posuerunt propriam vocationem eorumque fidelitatem erga Dominum eos appellantem, atque in suis officiis quodammodo defecerunt.[187]

Ille tandem non omittet perscrutari signa virtutum heroicarum quae forsitan a sacerdotibus dioecesanis manifestata sunt, cum id opportunum visum erit, promovebit earum publicam recognitionem, necessarium instituens processum ad causam canonizationis incohandam.[188]

[185] *Ep. ad Nepotianum presb.*, LII, 7: *PL* 22, 534.

[186] Ioannes Paulus II, Adhort. Ap. post-synodalis *Pastores dabo vobis* (25 Martii 1992), 77: *AAS* 84 (1992), 795.

[187] Cfr Conc. Oecum. Vat. II, Decr. de pastorali Episcoporum munere in Ecclesia *Christus Dominus*, 16.

[188] Cfr *Propositio* 40.

Institutio candidatorum ad presbyteratum

48. Penitius perscrutando argumentum de ministerio presbyterorum, cura Patrum synodalium peculiari ratione conversa est ad institutionem candidatorum ad sacerdotium, quae datur in seminario.[189] Habita ratione omnium munerum, quae orationem, deditionem, laborem hac in re requirunt, presbyterorum institutio pro Episcopo quandam constituit curam primarii ponderis. Ad rem quod attinet, Patres synodales vere conscii Seminarium bonum esse inter dioecesis praestantiora, in huius rei attenti institerunt tractatione et haud dubiam necessitatem Seminarii maioris ostenderunt, haud tamen neglegentes momentum quo etiam fruitur Seminarium minus ad christianos valores diffundendos ad Christi sequelam quod attinet.[190]

Unusquisque igitur Episcopus suam declarabit sollicitudinem, praesertim diligentissime seligens futurorum presbyterorum educatores atque aptissimas et accommodatissimas instituens formas ad necessariam eorum praeparationem ad ministerium in ambitu adeo fundamentali pro vita communitatis christianae exercendum. Episcopus non negleget officium saepe invisendi Seminarium, etiamsi, ob peculiaria rerum adiuncta, ipse aliique Episcopi ad deligendum, cum saepe necessitas urget, et immo ad praeoptandum Seminarium interdioecesanum adducti sint.[191] Cognitio personalis et perspecta candidatorum ad presbyteratum in propria Ecclesia particulari condicio est quam Episcopus neglegere nequit. His immediatis nisus colloquiis curabit ut in Seminariis personae maturo et aequo animo formentur, capaces instituendi solidas humanas pastoralesque necessitudines, in scientiis theologicis paratae, in spiritali vita fortes, Ecclesiae amantes. Adlaborabit pariter ad promovenda et sollicitanda incepta oeconomica ad firmandos et iuvandos iuvenes candidatos ad presbyteratum.

Perspicuum tamen est, vim vocationes excitantem et formantem orationem esse. Oportet vocationes diffusum habeant apud « Dominum messis » rete intercessorum. Quo frequentius quaestio vocationum suscipietur in ambitu orationis, eo magis oratio adiuvabit electum ad vocem auscultandam Illius qui eum vocat.

[189] Cfr *Propositio* 41.

[190] Cfr *ibid.*; Ioannes Paulus II, Adhort. Ap. post-synodalis *Pastores dabo vobis* (25 Martii 1992), 60-63: *AAS* 84 (1992), 762-769.

[191] Ioannes Paulus II, Adhort. Ap. post-synodalis *Pastores dabo vobis* (25 Martii 1992), 65: *AAS* 84 (1992), 771-772.

Cum tempus advenit sacrorum Ordinum, unusquisque Episcopus debitum instituet scrutinium.[192] Ad rem quod attinet, conscius suae gravis responsalitatis in conferendo Ordine presbyterali, tantummodo post accuratam inquisitionem et fusam consultationem, ad normam iuris, Episcopus suam in dioecesim accipiet candidatos provenientes alia ex dioecesi vel Instituto religioso.[193]

Episcopus et diaconi permanentes

49. Episcopi, veluti dispensatores sacrorum Ordinum, responsalitatem habent directam etiam de diaconibus permanentibus, quos Coetus synodalis recognoscit sicut genuina Dei dona ad nuntiandum Evangelium, ad educandas communitates christianas adque promovendum in Familia Dei ministerium caritatis.[194]

Unusquisque Episcopus igitur magnam adhibebit sollicitudinem de his vocationibus, quarum electionem et formationem ipse veluti postremus responsalis curat. Etiamsi plerumque exercet istam responsalitatem per cooperatores summae fiduciae, obligatos ad agendum modo conformi ad normas Sanctae Sedis,[195] Episcopus quaeret, quantum fieri possit, personaliter nosse illos qui se parant ad diaconatum. Postquam eos ordinaverit, perget esse verus eorum pater, ad amorem Corporis et Sanguinis Christi adhortans, quorum sunt ministri, et ad amorem Sanctae Ecclesiae, cui servire promiserunt; illos autem, qui matrimonio coniuncti sunt, ad exemplarem vitam adhortabitur familiarem.

Episcopi sollicitudo circa personas vitae consecratae

50. Adhortatio Apostolica post-synodalis *Vita consecrata* iam pondus illustravit quod vita consecrata in ministerio habet Episcopi. Quem revocantes textum hac in postrema Synodo, Patres memoraverunt Episcopi munus in Ecclesia — communione cuius est aestimare et promovere peculiarem vocationem et missionem vitae consecratae, quae continuo et firmiter ad vitam sanctitatemque pertinet Ecclesiae.[196] Quae etiam in Ecclesia

[192] Cfr *Codex Iuris Canonici*, can. 1051.

[193] Cfr *Propositio* 41.

[194] Cfr *Propositio* 42.

[195] Cfr Congregatio de Institutione Catholica, *Ratio fundamentalis institutionis Diaconorum permanentium* (22 Februarii 1998): *AAS* 90 (1998), 843-879; Congregatio pro Clericis, *Directorium pro ministerio et vita Diaconorum permanentium* (22 Februarii 1998): *AAS* 90 (1998), 879-926.

[196] Cfr Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 44.

particulari officium adimplet exemplaris praesentiae et missionis charismaticae. Episcopus igitur diligenter perscrutabitur an inter personas consecratas quae vixerunt in dioecesi testimonia fuerint heroicae virtutum exercitationis et, si id opportunum videbitur, incohandum canonizationis processum instituet.

Sua in diligenti sollicitudine de omnibus vitae consecratae formis, in sollicitudine quae exprimitur tum in adhortatione tum in vigilantia, Episcopi erit speciale spatium vitae contemplativae servare. Consecrati, ex parte sua, ex animo pastoralia Episcopi accipient consilia, ad plenam intenti communionem cum vita et missione Ecclesiae particularis ubi commorantur. Episcopus revera de apostolica in dioecesi navitate respondet: sodales vitae consecratae cum illo cooperari tenentur ut, per praesentiam et ministerium, locupletent communionem ecclesialem. Ad rem quod spectat, ratio habeatur de documento *Mutuae relationes* ac de iure vigente.

Peculiaris sollicitudo de Institutis iuris dioecesani est adhibita, praesertim de iis quae variis in difficultatibus versantur: ea Episcopus paterno singularique animo curabit. Tandem ad iter quod attinet approbationis novorum Institutorum quae in dioecesi sunt orta, Episcopus agere studeat secundum normas et praescripta Adhortationis Apostolicae *Vita consecrata* aliarumque instructionum competentium Sanctae Sedis dicasteriorum.[197]

Christifideles laici in pastorali cura Episcopi

51. Apud Christifideles laicos qui maiorem constituunt partem Populi Dei missionalis vis Baptismatis est manifestanda. Hoc ad propositum illi munimento indigent, adhortatione et adiumento suorum Episcoporum, qui illos ducant ad augendum apostolatum secundum propriam indolem saecularem, ex gratia haurientes sacramentorum Baptismatis et Confirmationis. Hanc ob rem necesse erit peculiaria itinera promovere formationis, quae illos reddant idoneos ad responsalitatem in Ecclesia sumendam intra dioecesanas et paroeciales structuras participationis, praeter varia officia animationis liturgicae, catechesis, religionis catholicae tradendae in scholis, etc.

Christifidelium est praesertim laicorum — et hoc in sensu sunt stimulandi — civilem cultum evangelizare, vim Evangelii inserere in ambitum familiae, laboris, communicationis instrumentorum et vitae publicae nationalis et internationalis. Ob eorum in mundo collocationem Christifideles laici revera magnum habere possunt effectum in ambitu circumiacenti, amplificantes

[197] Cfr *Propositio* 43.

pro tantis viris mulieribusque provincias et prospectus spei. Alia ex parte in condicionibus vitae cotidianae, ob eorum ordinariam vitae optionem strenue versantes, Christifideles laici vocantur, secundum eorum peculiarem indolem saecularem, ut reddant de spe rationem (cfr *1 Pe* 3, 15) in proprio ambitu laboris, in corde colentes «exspectationem novae terrae».[198] Episcopi, sua ex parte, propinqui sint fidelibus laicis qui, implicatis mundi negotiis detenti, peculiari ratione perturbationi exponuntur et maerori, atque illos sustentent ut christiani sint fortes in spe, firma certitudine nisi, Dominum semper filiis suis adesse.

Considerandum est etiam pondus apostolatus laici associati, tum illius antiquae traditionis, tum illius a novis constituti motibus ecclesialibus. Haec omnia aggregata Ecclesiam locupletant, sed semper indigent ministerio criterii Episcopi, ad cuius missionem pastoralem pertinet complementum inter motiones inspirationis diversae fovere, invigilare eorum progressioni, formationi theologicae et spiritali animatorum, pro interiectione novarum rerum in communitatem dioecesanam et in paroecias a quibus non debent separari.[199] Episcopus curabit ut laicorum sodalitates pastoralem vocationum operam in dioecesi sustentent, adlaborantes ut omnes vocationes accipiantur, praesertim eae quae ministerio ordinato, vitae consecratae et officio missionali devoventur.[200]

Sollicitudo Episcopi de familia

52. Multae Patrum synodalium voces pronuntiatae sunt pro familia, quae merito «ecclesia domestica» appellata est, necnon spatium praesentiae Domini Iesu apertum, sanctuarium vitae. Ea, instituta in sacramento matrimonii, veluti communitas potioris ponderis apparet, quia in ea tum coniuges tum eorum filii propriam vivunt vocationem atque in caritate progrediuntur. Familia christiana — in Synodo memoratum est — communitas est apostolica, missioni aperta.[201]

Episcopi re vera est agere ut in civili societate matrimonii bona per iustas optiones politicas et oeconomicas sustineantur et defendantur. Deinde intra communitatem christianam ille adhortabitur praeparationem sponsorum ad matrimonium, comitatum iuvenum coniugum atque formationem coetuum

[198] Conc. Oecum. Vat. II, Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes*, 39.
[199] Cfr *Propositiones* 45, 46 et 49.
[200] Cfr *Propositio* 52.
[201] Cfr *Propositio* 51.

familiarum, qui pastoralem agendi rationem pro familia et, nec postremo, possint familias in difficultatibus adiuvare. Propinquitas Episcopi erga coniuges eorumque filios, etiam per incepta dioecesana varii generis, iis erit validum adiumentum.

Inspicientes educativa ipsius familiae officia, Patres synodales unanimiter agnoverunt scholarum catholicarum momentum pro formatione integra novarum generationum, pro inculturatione fidei ac pro dialogo inter diversas culturas. Ideo necesse est ut Episcopus fulciat et qualitatem tribuat scholis catholicis, promovendo eas ubi non exstant atque adhortando, quod potest, civilia instituta ut effectivae libertati educationis intra Statum faveant.[202]

Iuvenes, pastoralis in futurum tempus principatus

53. Episcopus, christianae communitatis pastor et pater, peculiariter curabit ut iuvenes evangelizentur et spiritali comitatu adiuventur. Ministerium spei non potest non construere futurum cum illis — iuvenibus revera — quibus posteritas concreditur. Veluti «custodes aurorae» iuvenes auroram exspectant novi mundi. Eventus Dierum Internationalium Iuventutis, quem Episcopi ex corde adhortantur, nobis demonstrat quam multi sint iuvenes ad operam in Ecclesia et in mundo parati, si illis authentica proponatur responsalitas et integra detur christiana formatio.

Hoc in prospectu, tamquam sententiae Patrum synodalium interpretes, peculiarem admovemus adhortationem viris et mulieribus vitae consecratae multorum Institutorum, quae in ambitu operantur formationis educationisque infantium, adulescentium et iuvenum, ne animo deficiant propter difficultates temporis neque ab eorum memorabili opera desistant, sed augeant eam meliores etiam proprios in hac re conatus reddentes.[203]

Iuvenes, per personalem cum suis pastoribus et formatoribus necessitudinem, ad crescendum in caritate incitentur, ad vitam quandam magnanimam formentur, ad famulatum erga alios promptam, praesertim vere erga indigentes et aegrotos. Hoc modo facilius erit iis loqui etiam de ceteris virtutibus christianis, maxime de castitate. Hoc in itinere intellegere poterunt vitam esse «pulchram» cum donatur ad Iesu exemplum. Hac ratione adimplere poterunt optiones responsales et definitivas, tum in ordine matrimonii, tum in ministerio sacro, tum in vita consecrata.

[202] Cfr *ibid.*
[203] Cfr *Propositio* 53.

Navitas pastoralis vocationalis

54. Summi momenti est promotio culturae vocationalis latiore sensu sumptae: oportet ut iuvenes ad ipsam vitam inveniendam sicuti vocationem educentur. Episcopi erit familias, communitates paroeciales et instituta educationis adhortari, ut adulescentes adiuvent et iuvenes ad inveniendum consilium Dei de ipsorum vita, vocationem accipiendo ad sanctitatem quam Deus in origine unicuique donat.[204]

Ad rem quod pertinet, maximi est ponderis totius navitatis pastoralis corroborare vocationalem prospectum. Episcopus hanc ob rem curabit ut navitas pastoralis iuvenilis et vocationalis sacerdotibus et illis concredatur qui, ardore et exemplo propriae vitae, idonei sunt ad amorem erga Iesum transmittendum. Eorum erit iuvenes per personalem amicitiam et, si fieri potest, per spiritale moderamen comitari, ut ad signa colligenda divinae appellationis eos adiuvent adque vim quaerendam ad respondendum per Sacramentorum gratiam et in vita orationis, quae est praesertim auscultatio Dei qui loquitur.

Hi sunt quidam aspectus in quibus Episcopus suum exercet munus moderaminis et erga portionem Populi Dei sibi concreditam caritatem exprimit pastoralem quae eum animat. Una ex formis huius caritatis est compassio, ad imitationem Christi, Summi Sacerdotis, qui misertus est humanae fragilitatis, ipse tentatus per omnia veluti nos, etiamsi aliter ac nos, absque peccato (cfr *Heb* 4, 15). Haec compassio semper cum responsalitate coniungitur quam Episcopus erga Deum et Ecclesiam sumpsit. Sic ille promissiones emittit et officia die Ordinationis episcopalis sumpta, cum libere suum dedit assensum Ecclesiae petitioni ut curam adhiberet, paterno amore, de Dei Populo sancto eumque in via salutis duceret; ut semper esset hospitalis et misericors, in nomine Domini, erga pauperes, aegrotos et omnes consolatione adiumentoque indigentes et immo, veluti pastor bonus, ad quaerendas iret oves amissas ut ad Christi ovile eas adduceret.[205]

[204] Cfr *Propositio* 52.
[205] Cfr Pontificale Romanum, *Ritus Ordinationis Episcopi*: Electi officia.

Caput VI

IN ECCLESIARUM COMMUNIONE

« *Sollicitudo omnium Ecclesiarum* » (*2 Cor* 11, 28)

55. Cum ad Corinthios christianos scriberet, Paulus apostolus quae ipse pro Evangelio passus est repetiit: « In itineribus saepe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus, in labore et aerumna, in vigiliis saepe, in fame et siti, in ieiuniis frequenter, in frigore et nuditate; praeter illa, quae extrinsecus sunt, instantia mea cotidiana, sollicitudo omnium ecclesiarum » (*2 Cor* 11, 26-28). Ad exitum ipse pervenit animi cum commotione proferens interrogationem: « Quis infirmatur et non infirmor? Quis scandalizatur et ego non uror? » (*2 Cor* 11, 29). Eadem est interrogatio quae uniuscuiusque Episcopi conscientiam afficit, quippe qui Collegii episcopalis sit sodalis.

Id palam Concilium Vaticanum II memorat, cum illud edicit: omnes Episcopi, qua membra Collegii episcopalis et legitimi Apostolorum successores in universam Ecclesiam ex Christi institutione et praecepto suam sollicitudinem producere tenentur. « Debent enim omnes Episcopi promovere et tueri unitatem fidei et disciplinam cunctae Ecclesiae communem, fideles edocere ad amorem totius Corporis mystici Christi, praesertim ad membrorum pauperum, dolentium et eorum qui persecutionem patiuntur propter iustitiam (cfr *Mt* 5, 10), tandem promovere omnem actuositatem quae toti Ecclesiae communis est, praesertim ut fides incrementum capiat et lux plenae veritatis omnibus hominibus oriatur. Ceterum hoc sanctum est quod bene regendo propriam Ecclesiam ut portionem Ecclesiae universalis, ipsi efficaciter conferunt ad bonum totius mystici Corporis, quod est etiam corpus Ecclesiarum ».[206]

Accidit ut quisque Episcopus eodem tempore sua cum particulari Ecclesia coniungatur et cum universali Ecclesia. Ipse namque Episcopus, qui adspectabile est principium unitatisque sua in Ecclesia particulari fundamentum, adspectabile est quoque vinculum ecclesiasticae communionis suam inter Ecclesiam particularem et universalem Ecclesiam. Itaque omnes Episcopi, suis in Ecclesiis particularibus domicilium habentes, iique usque hierarchicam communionem cum Collegii episcopalis Capite et cum Collegio ipso ser-

[206] Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 23.

vantes, soliditatem ac significationem Ecclesiae catholicitati conferunt eademque opera suae Ecclesiae particulari catholicitatis notam tribuunt. Quisque ideo Episcopus fere momentum est coniunctionis suae particularis Ecclesiae cum Ecclesia universali atque visibile testimonium Christi unius Ecclesiae praesentiae sua in Ecclesia particulari. Quocirca in Ecclesiarum communione, suae particularis Ecclesiae agit personam Episcopus atque in eadem Ecclesiarum is agit communionis partes. Per ministerium enim episcopale *portiones Ecclesiae* totam Unam-Sanctam communicant, dum haec idem per ministerium in singulis *Ecclesiae portionibus* adest.[207]

Universalis ministerii episcopalis ratio plene manifestatur atque perficitur cum universi Episcopi, in hierarchica cum Romano Pontifice communione, tamquam Collegium operantur. In Concilio Oecumenico sollemniter coadunati vel in terrarum orbe sparsi, at semper cum Romano Pontifice hierarchica in communione, Collegium apostolicum ipsi continuant.[208] Sed aliis quoque rationibus omnes Episcopi inter se et cum Romano Pontifice *in bonum totius Ecclesiae* sociatam conferunt operam, atque id usu venit ut in toto orbe nuntietur Evangelium itemque variis quaestionibus occurratur, quibus multiplices Ecclesiae particulares implicantur. Eodem tempore Petri Successoris pro universa Ecclesia singulisque Ecclesiis particularibus explicatum ministerium ac simul Collegii qua talis actio multum iuvare possunt, ut in particularibus Ecclesiis singulorum dioecesanorum Episcoporum pastorali curae commissis fidei unitas ac disciplina universae Ecclesiae communis serventur. In Petri cathedra Episcopi, sive singuli sive ut Collegium coadunati, perpetuum visibileque unitatis fidei necnon communionis principium et fundamentum reperiunt.[209]

Episcopi dioecesani cum suprema auctoritate rationes

56. Concilium Vaticanum II docet: « Episcopis, ut Apostolorum Successoribus, in dioecesibus ipsis commissis per se omnis competit potestas ordinaria, propria ac immediata, quae ad exercitium eorum muneris pastoralis requiritur, firma semper omnibus potestate quam, muneris sui vi, Romanus Pontifex habet sibi vel alii Auctoritati causas servandi ».[210]

[207] Cfr Paulus VI, *Allocutio* cum tertia Oecumenicae Synodi Sessio capit initium (14 Septembris 1964): *AAS* 56 (1964), 813; Congregatio pro Doctrina Fidei, Litt. *Communionis notio* (28 Maii 1992), 9.11-14: *AAS* 85 (1993), 843-845.

[208] Cfr Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 22; Nota praevia ad Const. *Lumen gentium*, 1º; *Codex Iuris Canonici,* cann. 337; 749 § 2; *Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium,* cann. 50; 597 § 2.

[209] Cfr Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 23.

[210] Decr. de pastorali Episcoporum munere in Ecclesia *Christus Dominus*, 8.

In synodali aula quidam quaestionem posuit, possetne inter Episcopum ac supremam auctoritatem necessitudo sub principii subsidiarietatis lumine tractari, potissimum quod ad necessitudinem attinet inter Episcopum et Curiam Romanam, dum exoptatur ut hae necessitudines, cum ecclesiologia communi congruentes, servatis uniuscuiusque officiis explicentur et propterea in ampliore decentralizatione quae dicitur efficienda. Id quoque quaesitum est ut facultas quaedam vestigetur hoc principium in Ecclesiae vitam inferendi, dum quoquo modo illud tenetur constitutivum principium ad episcopalem auctoritatem explicandam esse singulorum Episcoporum hierarchicam communionem cum Romano Pontifice episcopalique collegio.

Ut notum est, subsidiarii officii principium a Decessore Nostro Pio XI, recolendae memoriae, de civili societate est enuntiatum.[211] Concilium Vaticanum II, quod «subsidiarietatem» vocem numquam usurpavit, est autem cohortatum ut inter Ecclesiae instituta communicatio vigeat, novam theologicam inquisitionem de episcopatu incohans, quae fructus gignere cepit, collegialitatis principio ad ecclesialem communionem re accommodato. Synodales tamen Patres putaverunt, quod ad episcopalis auctoritatis exercitium spectat, subsidiarietatis notionem esse ambiguam iique institerunt ut theologice altius vestigaretur principii communionis sub lumine episcopalis auctoritatis natura.[212]

In synodali congressione de communionis principio saepenumero est tractatum.[213] Agitur de organica communione, quae ex figura oritur Christi Corporis, de quo Paulus apostolus loquitur, cum supplementi mutuique adiumenti ministeria inter unius corporis varia membra extollit (cfr *1 Cor* 12, 12-31).

Ut communionis principium recte efficaciterque adhibeatur, quaedam hac de re necessaria erunt elementa. In primis illud est servandum: in Ecclesia particulari dioecesanum Episcopum omnem habere ordinariam, propriam immediatamque potestatem, quae ad eius pastorale ministerium obeundum est necessaria. Quocirca ad eum proprius huius auctoritatis exercendae suo iure ambitus pertinet, quem ambitum agnoscunt et leges universae tutantur.[214] Potestas autem Episcopi, altera ex parte, una cum suprema Romani Pontificis potestate exsistit, ipsa quoque episcopali, ordinaria et immediata

[211] Cfr Litt. Enc. *Quadragesimo anno* (15 Maii 1931): *AAS* 23 (1931), 203.

[212] Cfr *Propositio* 20.

[213] Cfr *Relatio post disceptationem*, 15-17: *L'Osservatore Romano,* 14 Octobris 2001, p. 4; *Propositio* 20.

[214] Cfr *Codex Iuris Canoni*ci, can. 381 § 1; *Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium*, can. 178.

quae singulas Ecclesias earumque sodalitates, omnes pastores fidelesque complectitur.[215]

Alia res ob oculos est habenda: Ecclesiae unitas in episcopatus unitate innititur, qui, ut unus sit, Collegii Caput requirit. Ecclesia similiter, ut una sit, postulat Ecclesiam quandam veluti Ecclesiarum Caput, Romanam scilicet, cuius Episcopus, Petri Successor, Caput est Collegii.[216] « Ut autem unaquaeque Ecclesia particularis plene sit Ecclesia, particularis nempe praesentia Ecclesiae universalis cum omnibus ipsius essentialibus elementis, ideoque ad imaginem Ecclesiae universalis formata, adsit in ipsa necesse est, tamquam elementum proprium, suprema Ecclesiae auctoritas. [...] Primatus Romani Episcopi atque Collegium episcopale elementa sunt propria Ecclesiae universalis "non derivata ex particularitate Ecclesiarum", sed nihilominus intima cuicumque Ecclesiae particulari. [...] Ministerium Successoris Petri intimum esse unicuique Ecclesiae particulari necessaria exsistit expressio fundamentalis illius mutuae interioritatis Ecclesiam universalem inter et Ecclesiam particularem intercedentis ».[217]

Christi Ecclesia, sua in catholicitatis nota, in unaquaque particulari Ecclesia plene efficitur, quae cuncta naturalia ac supernaturalia instrumenta ad missionem complendam recipit, quam Deus Ecclesiae in mundo absolvendam commendavit. In his ordinaria, propria et immediata exsistit Episcopi potestas, quae ad eius sustinendum pastorale munus postulatur, cuius tamen exercitium universalibus legibus subditur et limitibus, quos ius decretumve Summi Pontificis supremae auctoritati vel alii ecclesiasticae auctoritati imponunt.[218]

Proprii facultas regiminis, quae magisterii authentici quoque exercitium complectitur,[219] quaeque intrinsece ad Episcopum eius in dioecesi pertinet, illa intra Ecclesiae mysterii naturam reperitur, quae efficit ut in Ecclesia particulari immanens sit universalis Ecclesia, quae praesentem reddit supremam auctoritatem, scilicet Romanum Pontificem et Episcoporum Collegium

[215] Cfr Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium* 22; *Codex Iuris Canonici*, cann. 331 et 333; *Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium*, cann. 43 et 45 § 1.

[216] Cfr Congregatio pro Doctrina Fidei, Litt. *Communionis notio* (28 Maii 1992), 12: *AAS* 85 (1993), 845-846.

[217] *Ibid.*, 13: *l.m.*, 846.

[218] Cfr Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium* 27; Decr. de pastorali Episcoporum munere in Ecclesia *Christus Dominus* 8; *Codex Iuris Canonici*, can. 381 § 1; *Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium*, can. 178.

[219] Cfr *Codex Iuris Canonici*, can. 753; *Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium*, can. 600.

cum eorum suprema, plena, ordinaria atque immediata potestate omnes in fideles pastoresque.[220]

Ad Concilii Vaticani II doctrinam edici oportet munus docendi aeque ac munus regendi — scilicet congruentem magisterii regiminisque potestatem — in particulari Ecclesia ab unoquoque exerceri dioecesano Episcopo, propria natura, in hierarchica cum Collegii Capite ipsoque Collegio communione.[221] Id episcopalem auctoritatem haud extenuat, immo roborat, quandoquidem hierarchicae communionis vincula, quibus Episcopi cum Apostolica Sede iungantur, necessariam dioecesani Episcopi ac supremae auctoritatis responsalitatis compositionem postulant, quam ipsa Ecclesiae natura requirit. Ius ipsum divinum utriusque exercitii fines statuit. Episcoporum idcirco « potestas a suprema et universali potestate non eliditur, sed e contra asseritur, roboratur et vindicatur, Spiritu Sancto constitutam a Christo Domino in sua Ecclesia regiminis formam indefectibiliter servante ».[222]

Bene ideo enuntiavit Paulus VI, cum tertia Concilii Vaticani II Sessio initium cepit, cum haec effatus est: « Quemadmodum vobis, Venerabiles Fratres in episcopatu, varias terrarum orbis partes incolentibus, ut veram Ecclesiae notam catholicam efficiatis atque ostendatis, necessarium omnino est centrum et principium unitatis fidei et communionis, quod sane in hac Petri Cathedra habetis, ita Nos semper vestram praesentem operam expetimus, ut vultum Apostolicae Sedis pulchritudine niteat neve eadem careat vi atque momento suo humano et historico, immo ut fides eius consonanter servetur, officia eius in exemplum impleantur, in eius angustiis solacium ipsi praebeatur ».[223]

Communionis natura, quae cunctis intraecclesialibus necessitudinibus subest[224] quaeque in synodali quoque disceptatione in lucem prolata est, reciprocationis necessitudinem efficit inter Romanum Pontificem atque Episcopos. Etenim si una ex parte Episcopus, ut suum ipsum in plenitudine obeat officium atque Ecclesiae suae catholicitatem fundet, proprium munus regendi exercere debet, in hierarchica cum Romano Pontifice episcopalique Collegio communione, ex altera parte Romanus Pontifex, Collegii Caput, suo in su-

[220] Cfr Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium* 22; *Codex Iuris Canonici*, cann. 333 § 1; 336; *Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium*, cann. 43; 45 § 1; 49.

[221] Cfr Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 21; *Codex Iuris Canonici*, can. 375 § 2.

[222] Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 27; cfr *Codex Iuris Canonici*, can. 333 § 1; *Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium*, can. 45 § 1.

[223] *Allocutio* initii tertiae Sessionis Concilii (14 Septembris 1964): *AAS* 56 (1964), 813.

[224] Cfr Synodus Episcoporum, II Coetus Generalis Extraordinarius, Relatio finalis *Exeunte coetu* (7 Decembris 1985), C, 1: *L'Osservatore Romano*, 10 Decembris 1985, p. 7.

premi Ecclesiae pastoris munere praestando, cum ceteris omnibus Episcopis in communione, immo cum tota Ecclesia, semper agit.[225] In communione ergo ecclesiali, sicut Episcopus non est solus, sed usque ad Collegium refertur eiusque Caput et ipse ab iis sustinetur, sic etiam Romanus Pontifex non est solus, sed usque ad Episcopos refertur et ab ipsis sustinetur. Quae est alia ratio ob quam supremae potestatis Romani Pontificis exercitium haud dissolvit, sed confirmat, roborat et vindicat ipsam ordinariam, propriam et immediatam potestatem, quae est Episcopo in Ecclesia particulari.

Ad limina Apostolorum visitationes

57. Manifestatio ac simul communionis inter Episcopos Petrique Cathedram instrumentum visitationes sunt *ad limina Apostolorum.*[226] Tria namque sunt huius eventus praecipua momenta, quae suam propriam prae se ferunt significationem.[227] Prae omnibus ad principum Apostolorum Petri et Pauli sepulcra peregrinatio, qua una significatur fides, cuius Romae suo martyrio testificationem illi dederunt.

Cum hac re occursus iungitur cum Petri Successore. Occasione enim visitationis *ad limina* circum eum congregantur et, secundum catholicitatis principium, donorum commercium efficiunt omnibus ex illis bonis quae Spiritus Sancti virtute in Ecclesia reperiuntur, cum particulari localique, tum universali in ordine.[228] Non efficitur tunc mutua tantum informatio, verum in Ecclesiae corpore collegialis conformatio adfirmatur ac roboratur, per quam in diversitate unitas habetur, cum quaedam *perichoresis* inter Ecclesiam universalem Ecclesiasque particulares gignitur, quae illi motui assimilari potest sanguinis, qui ex corde proficiscitur et corporis extrema attingit vicissimque ex extremis partibus ad cor redit.[229] Vitalis umor qui a Christo manat omnes partes coagmentat, quemadmodum vitis umor, qui in palmites fluit (cfr *Io* 15, 5). Id peculiarem in modum in eucharistica cum Pontifice celebratione liquido apparet. Quaeque enim Eucharistia proprio cum Episcopo, cum Romano Pontifice episcopalique Collegio in communione celebratur et per hos

[225] Cfr *Codex Iuris Canonici,* can. 333 § 2; *Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium*, can. 45 § 2.

[226] Cfr *Propositio* 26.

[227] Cfr Ioannes Paulus II, Const. Ap. *Pastor bonus* (28 Iunii 1988) art. 31: *AAS* 80 (1988), 868; *Adnexum* I, 6: *ibid.,* 916-917; *Codex Iuris Canonici*, can. 400 § 1; *Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium*, can. 208.

[228] Cfr Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*,13.

[229] Cfr Ioannes Paulus II, Const. Ap. *Pastor bonus, Adnexum* (28 Iunii 1988) I, 2; I, 5: *AAS* 80 (1988), 913, 915.

cum Ecclesiae particularis totiusque Ecclesiae fidelibus, ita ut Ecclesia universalis in Ecclesia particulari adsit, quae una cum reliquis particularibus Ecclesiis in universalis Ecclesiae communionem inseritur.

A primis inde saeculis quoad ultimum communionis indicem Romae Ecclesia respicitur, ubi Petrus et Paulus suam fidei dederunt testificationem. Etenim cum ipsa, quippe quae praecipuum obtineat locum, unaquaeque Ecclesia consentiat oportet, quoniam ea supremam facit fidem traditionis integritatis, ab Apostolis traditae.[230] Romana Ecclesia universali caritatis communioni praesidet,[231] legitimas varietates tuetur ac simul cavet ne peculiaritas non modo unitati noceat, verum ei inserviat.[232] Haec omnia necessitatem secum ferunt variarum Ecclesiarum cum Romana Ecclesia communionis, ut in Traditionis apostolicae integritate et in canonicae disciplinae unitate ad fidem, Sacramenta et viam sanctitatis certam custodienda universae reperiantur. Talis Ecclesiarum communio manifestatur communione hierarchica inter singulos Episcopos et Romanum Pontificem.[233] Ex omnium Episcoporum communione cum Petro et sub Petro, quae in caritate efficitur, cunctorum cum Petri Successore officium cooperationis manat, ad bonum universae Ecclesiae ideoque cuique particulari Ecclesiae procurandum. Visitatio *ad limina* hunc nimirum habet finem.

Tertium visitationum *ad limina* elementum constituit cum iis congressio qui Romanae Curiae Dicasteriis praesunt: cum iis agentes ad quaestiones recta accedunt Episcopi, quae singulis Dicasteriis competunt atque sic ad varias formas considerandas admittuntur communis pastoralis sollicitudinis. Hac de re synodales Patres rogaverunt ut, mutuae cognitionis fiduciaeque sub signo, frequentiores evadant necessitudines inter Episcopos, singulos nempe vel in Conferentias episcopales congregatos, ac Romanae Curiae Dicasteria,[234] ita ut hi ipsi, de certis Ecclesiarum quaestionibus directo certiores facti, suum universale munus melius explicare valeant.

Procul dubio *ad limina* visitationes, una cum quinquennali de dioecesis statu relatione,[235] efficacia sunt instrumenta ad necessitatem absolvendam mutuae cognitionis, quae ex ipsa communionis natura inter Episcopos et Romanum Pontificem effluit. Episcoporum Romae praesentia visitationis causa immo copiam potest dare opportunam hinc quaestionibus respondendi ab ipsis

[230] Cfr S. Irenaeus Lugdunensis, *Adversus haereses* 3, 3, 2: *PG* 7, 848.
[231] Cfr S. Ignatius Antiochenus, *Ad Romanos* I,1: *PG* 5, 685.
[232] Cfr Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 13.
[233] Cfr *ibid.*, 21-22; Decr. de pastorali Episcoporum munere in Ecclesia *Christus Dominus*, 4.
[234] Cfr *Propositiones* 26 et 27.
[235] Cfr *Codex Iuris Canonici*, can. 399; *Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium*, can. 206.

Dicasteriis exhibitis, hinc, secundum votum ab illis patefactum, eorum individuam vel communem consultationem iuvandi, ad documenta universalis magnique ponderis contexenda; hac praeterea occasione iisdem Episcopis opportune collustrari poterunt documenta, antequam edantur, quae forte Sancta Sedes toti Ecclesiae vel nominatim particularibus eorum Ecclesiis dicare velit.

Synodus Episcoporum

58. Secundum iam roboratam experientiam quaeque Synodi Episcoporum Generalis Sessio, quae totum quodammodo exprimit episcopatum, peculiarem in modum communionis animum ostendit, qui Episcopos cum Romano Pontifice iungit et Episcopos inter se, ac subtilius ecclesiale iudicium patefacere sinit, Spiritu agente, de variis quaestionibus, quae Ecclesiae vitam gravant.[236]

Ut perspicuum est, Concilii Vaticani II tempore haec exorta est necessitas ut Episcopi iuvare melius possent Romanum Pontificem eius in officio sustinendo. Id perpendens ipsum, Decessor Noster Paulus VI recolendae memoriae instituit Synodum Episcoporum,[237] haud oblitus partium illarum quas Cardinalium Collegium Pontifici Romano iam praebebat. Per hoc novum institutum collegialis affectio atque Episcoporum sollicitudo de totius Ecclesiae bono efficacius sic commonstrari poterat.

Praeteritis annis ostensum est, quemadmodum Episcopi fide caritateque coniuncti suo consilio validum Romano Pontifici eius in ministerio apostolico praestando auxilium ferre possent, sive ad fidem moresque tuendos, sive ad disciplinam ecclesiasticam servandam. Etenim de Ecclesiis particularibus permutatio notitiarum, cum sententiarum congruentiam de quaestionibus etiam doctrinae iuvet, valida communionem firmandi est ratio.[238]

Quaeque Episcoporum Synodi Generalis Congressio fortis est ecclesialis experientia, tametsi suis in modis procedendi semper perfici valet.[239] Episcopi in Synodo coadunati suarum Ecclesiarum in primis partes agunt, sed ea quoque ob oculos habent quae Conferentiae episcopales proponunt, quae eos designaverunt, quarumque super quaestionibus tractandis sunt sententiarum interpretes. Ii porro

[236] Cfr *Propositio* 24.

[237] Cfr Litt. Ap. motu proprio datae *Apostolica sollicitudo* (15 Septembris 1965): *AAS* 57 (1965), 775-780; Conc. Oecum. Vat. II, Decr. de pastorali Episcoporum munere in Ecclesia *Christus Dominus*, 5.

[238] Cfr Paulus VI, Litt. Ap. motu proprio datae *Apostolica sollicitudo* (15 Septembris 1965), II: *AAS* 57 (1965), 776-777; *Allocutio* ad Patres synodales (30 Septembris 1967): *AAS* 59 (1967), 970-971.

[239] Cfr *Propositio* 24.

Ecclesiae hierarchici Corporis optatum aliquo modo ostendunt, quin immo universi christiani populi, cuius sunt pastores.

Synodus eventus est quidam in quo perquam perspicuum est Petri Successorem, suo in officio obeundo, in communione cum ceteris Episcopis totaque Ecclesia continenter coniungi.[240] « Synodi Episcoporum est » — quemadmodum Iuris Canonici statuit Codex — « de quaestionibus pertractandis disceptare atque expromere optata, non vero easdem dirimere de iisque ferre decreta, nisi certis in casibus potestate deliberativa eandem instruxerit Romanus Pontifex, cuius est in hoc casu decisiones synodi ratas habere ».[241] Eo quod Synodus plerumque munus gerit solum consultivum, id eius pondus haud extenuat. In Ecclesia namque cuiuslibet collegialis instituti finis, cum consultivus tum deliberativus, semper est veritatis bonive Ecclesiae conquisitio. Cum porro de eadem agitur fide comprobanda, consensus Ecclesiae haud votis computatis praebetur, sed fructus est agentis Spiritus, animae unius Christi Ecclesiae.

Quandoquidem Synodus ipsa veritati inservit et Ecclesiae, quod veram corresponsalitatem totius episcopatus cum eius Capite coniuncti pro Ecclesiae beneficio demonstrat, in suffragio consultivo vel deliberativo ferendo Episcopi, una cum ceteris Synodi sodalibus, dignitate episcopali carentibus, regiminis Ecclesiae universalis participationem utique significant. Sicut Decessor Noster Paulus VI veneratae memoriae, ex consiliis sententiisque, a synodalibus Patribus manifestatis, etiam Nos fructum cepimus, quae Nos in documentum comparandum rettulimus, quod Synodi effectus complectitur, quodque ideo « post-synodale » appellare placet.

Communio inter Episcopos Ecclesiasque quoad locorum ordinem

59. Praeter universalem ordinem, multae sunt variaeque rationes, quibus manifestari potest, et re manifestatur, episcopalis communio ideoque sollicitudo de cunctis Ecclesiis sororibus. Mutuae praeterea inter Episcopos necessitudines praestitutas congressiones longe multumque praetergrediuntur. Vivida rationis collegialis ministerii conscientia, quod eis commendatum est, incitare eos debet ut inter se, in ambitu potissimum eiusdem Conferentiae Episcopalis, in ordine tum Provinciae tum Regionis ecclesiasticae, multiplices fraternitatis sacramentalis significationes efficiant, quae a mutua acceptione

[240] Cfr *Codex Iuris Canonici*, can. 333 § 2; *Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium*, can. 45 § 2.

[241] Can. 343.

aestimationeque usque ad varias caritatis significationes et solidam cooperationem procedunt.

Quemadmodum iam antea scripsimus, « plurimum a Concilio Vaticano II ac deinceps est effectum, quod ad Curiae Romanae pertinet reformationem, ad Synodorum constitutionem, ad Conferentiarum Episcopalium temperationem. Sed multum aequabiliter restat perficiendum, quo melius opportunitas horum necessariorum communionis instrumentorum exprimatur, hodie praesertim cum respondere necesse sit cito difficultatibus quibus occurrere debet Ecclesia intra tam veloces nostri temporis mutationes et conversiones ».[242] Novum idcirco saeculum operosos plus quam umquam nos invenire debet ad extollenda et promovenda rationes atque instrumenta, quibus inter Episcopos et Ecclesias communio efficitur ac praestatur.

Quisque Episcopi actus, quem ipse suo in ministerio pastorali gerendo facit, semper est actus qui *in Collegio* efficitur. Sive de Verbi ministerio vel propriae particularis Ecclesiae regiminis, vel etiam cuiusdam consilii ministerio explicando agitur, quod capitur una cum aliis in episcopatu Fratribus de ceteris eiusdem Conferentiae Episcopalis Ecclesiis particularibus, in provinciali regionalive ambitu, semper *in Collegio* manet actus, cum efficiatur communione servata cum aliis Episcopis et Collegii Capite ac propria item pastorali responsalitate interposita. Haec praeterea omnia minime humanae cuiusdam compositionis convenientiae vi efficiuntur, sed sollicitudinis erga ceteras Ecclesias, quae ex eo oritur quod quisque Episcopus in Corpus quoddam Collegiumve inseritur et colligitur. Quisque enim Episcopus, tametsi diversis rationibus, simul Ecclesiae particularis, Ecclesiarum sororum proximarum Ecclesiaeque universalis responsalis est.

Opportune igitur significaverunt Patres synodales: « In communione Episcoporum viventes, singuli Episcopi proprias difficultates passionesque suorum Fratrum Episcoporum tamquam proprias sentiunt. Ut haec episcopalis communio roboretur et evidentior fiat, *singuli Episcopi et singulae Conferentiae episcopales* attente considerent possibilitatem quam eorum habent Ecclesiae, adiuvandi eas quae indigentiores sunt ».[243] Scimus talem paupertatem respicere posse tum magnam sacerdotum penuriam aliorumve pastoralium actorum, tum gravem materialium instrumentorum privationem. In utroque nempe casu Evangelii nuntius detrimentum patitur. Hanc propter causam, cum ea re congruentes, quam iam inculcabat Concilium

[242] Ep. Ap. *Novo millennio ineunte* (6 Ianuarii 2001), 44: *AAS* 93 (2001), 298.

[243] *Propositio* 30: cfr Ioannes Paulus II, Litt. Ap. motu proprio datae *Apostolos suos* (21 Maii 1998), 13: *AAS* 90 (1998), 650-651.

Vaticanum II,[244] Patrum synodalium in Nos recipimus sententiam qui exoptarunt ut fraterni adiumenti necessitudinibus faveatur inter antiquae evangelizationis Ecclesias et «iuvenes Ecclesias» quae dicuntur, «gemellaria» quoque vincula inducendo, quae in experientiis et actoribus pastoralibus necnon pecuniarum subsidiis communicandis efficiuntur. Id enim Ecclesiae effigiem veluti «Dei familiae» confirmat, in qua fortiores ad omnium beneficium procurandum debiliores sustinent.[245]

Communio sic Ecclesiarum vertitur in Episcoporum communionem, quae etiam in benevola illa observantia erga Pastores illos manifestatur, qui magis quam ceteri Fratres atque quasdam propter rationes cum locorum condicionibus conexas, aegritudinibus sunt affecti aut, pro dolor, adhuc afficiuntur, participantes saepius suorum fidelium aegritudines. Quidam Pastorum ordo peculiari observantia est dignus, increbrescentem propter numerum eorum qui hunc ingrediuntur, emeritorum scilicet Episcoporum. In liturgia, qua finis X Coetui Generali Ordinario impositus est, una cum Patribus synodalibus ipsis mentem Nostram saepenumero rettulimus. Ecclesia universa permagni hos carissimos Fratres facit, qui insignes manent episcopalis Collegii sodales ipsaque de pastorali praestito et adhuc praestando munere gratum animum patefacit, quoniam adeptam sibi prudentiam experientiamque in communitatis beneficium conferunt. Competens auctoritas hoc eorum patrimonium existimet et adhibeat, in quo etiam pars quaedam magni pretii residet de Ecclesiarum memoria, quas ii per annos rexerunt. Omnimodis danda est opera, ut spiritalis atque oeconomicae tranquillitatis condiciones iis tribuantur, in humano contextu quem ipsi aeque exoptant. Inquiratur porro an eorum facultates ususque in Conferentiarum Episcopalium institutionibus ultra adhiberi possint.[246]

Ecclesiae catholicae Orientales

60. In eodem communionis inter Episcopos et Ecclesias prospectu synodales Patres peculiarem curam in Ecclesias catholicas Orientales intenderunt, venerandas et antiquas earum traditionum divitias pensantes, quae vivus sunt thesaurus, qui una cum similibus Ecclesiae Latinae testificationibus exstat. Utraeque una simul catholicam Populi sancti Dei unitatem liquidius collustrant.[247]

[244] Cfr Decr. de pastorali Episcoporum munere in Ecclesia *Christus Dominus*, 6.
[245] Cfr *Propositio* 31.
[246] Cfr *Propositio* 33.
[247] Cfr *Propositio* 21.

Nullum exinde est dubium, quin Ecclesiae catholicae Orientales, earum ob spiritalem, historicam, theologicam, liturgicam et disciplinae cognationem cum Ecclesiis orthodoxis aliisque Ecclesiis Orientalibus, quae adhuc non habent plenam cum Ecclesia catholica communionem, perquam peculiarem habeant rationem christianorum, Orientis potissimum, unitatem promovendi. Quod precibus insignique vita christiana eae efficiant oportet, ut omnes Ecclesiae; ipsae proinde, peculiarem veluti operam, ad suam religiosam fidelitatem antiquis traditionibus Orientalibus addendam vocantur.[248]

Ecclesiae patriarchales earumque Synodus

61. Inter propria Ecclesiarum catholicarum Orientalium instituta eminent Ecclesiae patriarchales. Hae quidem pertinent ad illos coetus Ecclesiarum quae, ut tenet Concilium Vaticanum II,[249] divina afflante Providentia, decursu temporum in coetus coaluerunt ordinatim coniunctos et, salva fidei unitate et unica divina constitutione totius Ecclesiae, fruuntur sive propria disciplina proprioque liturgico usu, sive theologico spiritalique patrimonio. Earum peculiaris dignitas ex eo provenit quod, veluti matrices fidei, alias pepererunt Ecclesias, quasi filias, quibuscum artiore vinculo caritatis in vita sacramentali atque in mutua iurium et officiorum reverentia, ad nostra usque tempora conectuntur.

Admodum antiquum hoc patriarchale institutum viget in Ecclesia. Confirmatum in primo Concilio oecumenico Nicaeno, agnitum est in primis Conciliis oecumenicis et etiam nunc est traditionalis regiminis forma in Ecclesiis Orientalibus.[250] Ad originem et peculiarem structuram quod attinet, ecclesiasticae est institutionis. Hanc prorsus ob causam Concilium Oecumenicum Vaticanum II «exoptat ut, ubi opus sit, novi erigantur patriarchatus, quorum constitutio Synodo Oecumenicae vel Romano Pontifici reservatur».[251] Idcirco quicumque apud Orientales Ecclesias potestatem exercet supraepiscopalem et supralocalem — uti Patriarchae et Synodi Episcoporum Ecclesiarum patriarchalium — supremam participat auctoritatem quam in totam Ecclesiam Petri Successor exserit, quam quidem potestatem exercet non tantum respectu habito Primatus Romani Pontificis[252] sed etiam officii singulo-

[248] Cfr *Propositio* 22.

[249] Cfr Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 23; Decr. de Ecclesiis Orientalibus Catholicis *Orientalium Ecclesiarum*, 11.

[250] Cfr Ioannes Paulus II, Const. Ap. *Sacri canones* (18 Octobris 1990): *AAS* 82 (1990), 1037.

[251] Decr. de Ecclesiis Orientalibus Catholicis *Orientalium Ecclesiarum*, 11.

[252] Cfr Ioannes Paulus II, Const. Ap. *Sacri canones*, (18 Octobris 1990): AAS 82 (1990), 1037.

rum Episcoporum, quin transgrediatur ambitum propriae competentiae, vel liberum circumscribat exercitium eorum functionum.

Relationes enim inter Episcopos Ecclesiae patriarchalis et Patriarcham, qui Episcopus est quoque eparchiae patriarchalis, foventur secundum fundamentum quod antiquitus in Canonibus Apostolorum iam describebatur: « Episcopos singularum gentium scire oportet quis inter eos primus sit, eumque existimare velut caput et nihil magnum sine eius sententia facere, unumquemque autem ea sola agere, quae ad suam parochiam et villas ipsi subiectas pertinent; sed nec praeter omnium conscientiam ille aliquid faciat; sic enim concordiae erit, ac glorificabitur Deus per Christum in Sancto Spiritu ».[253] Hic canon exprimit antiquam consuetudinem synodalitatis in Orientis Ecclesiis, exhibens simul fundamentum theologicum et sensum doxologicum, quoniam perspicue asseritur, synodalem Episcoporum in concordia actionem Deo Uni et Trino cultum et gloriam tribuere.

In synodali igitur vita Ecclesiarum patriarchalium agnoscenda est efficax actio sensus collegialis ministerii episcopalis. Omnes Episcopi rite consecrati participant Synodum suae patriarchalis Ecclesiae quatenus pastores portionis Populi Dei. Attamen, munus « primoris », id est Patriarchae, agnoscitur uti elementum suo modo actionem collegialem constituens. Nulla quidem datur actio collegialis sine primore qua tali agnito. Item synodalitas nec delet nec minuit legitimam cuiusque Episcopi autonomiam in regenda propria Ecclesia; confirmat tamen affectum collegialem inter Episcopos, qui curam adhibent de omnibus Ecclesiis particularibus ad Patriarchatum pertinentibus. Concursio ita patet et uti symphonia inter duo principia, unitatis scilicet Ecclesiae universalis et multiplicitatis Ecclesiarum particularium.

Patriarchali Synodo attribuitur vera regiminis potestas. Illius est enim eligere Patriarcham et Episcopos ad munera intra territorium Ecclesiae patriarchalis, atque candidatos ad episcopatum eligere ad munera extra confines Ecclesiae patriarchalis, qui Romano Pontifici ad nominationem proponentur.[254] Praeter consensum vel sententiam necessariam ad validitatem quorundam actuum qui Patriarchae competunt, ad Synodum spectat statuere leges ferre, quae vim sortiuntur intra — et si agitur de legibus liturgicis etiam extra — confines Ecclesiae patriarchalis.[255] Synodus insuper, salva competentia Sedis Apostolicae, superius Tribunal est intra fines territorii

[253] Cfr *Canones Apostolorum*, VIII, 47, 34: ed. F.X. Funk, I, 573.575.
[254] Cfr *Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium*, cann. 110 § 3 et 149.
[255] Cfr *ibid.*, cann. 110 § 1 et 150 §§ 2, 3.

eiusdem Ecclesiae patriarchalis.[256] Deinde, ad gerenda maioris ponderis negotia quod attinet, praesertim ea quae favent formis rationibusque apostolatus et ecclesiasticae disciplinae innovandis, Patriarcha et Synodus quoque patriarchalis utuntur cooperatione consultiva Coetus patriarchalis, quem Patriarcha quinto saltem quoque anno convocare debet.[257]

Constitutio metropolitana et Provinciarum ecclesiasticarum

62. Ad promovendam communionem inter Episcopos et solidarietatem inter Ecclesias, efficax methodus est perantiquam roborare institutionem Provinciarum ecclesiasticarum, ubi Metropolitae instrumentum constituunt et signum sive fraternitatis inter Episcopos provinciae sive eorum communionis cum Romano Pontifice.[258] Communis enim actio pastoralis, propter similitudinem negotiorum quae sollicitant Episcopos singulos et propter exiguum eorum numerum, qui maiorem efficacioremque fert consensum, aptior instituetur apud Coetus Episcoporum eiusdem provinciae ac praesertim apud Concilia provincialia.

Ubi pro bono communi opportunum visum erit erigere Regiones ecclesiasticas, haec functio expleri poterit a coetibus Episcoporum eiusdem regionis vel, quoquo modo, a Conciliis plenariis. Postea huiusmodi confirmandum est quidquid expressum est in Concilio Vaticano II: « Veneranda Synodorum et Conciliorum instituta novo vigeant vigore, quo aptius et efficacius fidei incremento disciplinaeque conservationi in variis Ecclesiis, pro temporum adiunctis, provideatur ».[259] In iis Episcopi agere poterunt significantes non solum communionem inter seipsos, sed etiam cum omnibus membris portionis Populi Dei sibi creditae; talia membra partes habent in Conciliis ad normam iuris.

Quandoquidem in Conciliis particularibus participes sunt etiam presbyteri, diaconi, religiosi, religiosae et laici, quamvis voto tantum consultivo, eo ipso statim communio exprimitur non solum inter Episcopos, verum etiam inter Ecclesias. Praeterea Concilia particularia, veluti sollemne tempus ecclesiale, sedulam postulant considerationem in praeparatione, quae omnes fidelium ordines complectitur ita ut reddantur veluti apta sedes ad decisiones potioris ponderis sumendas, praesertim eas quae ad fidem attinent. Locus igitur Con-

[256] Cfr *ibid.*, cann. 110 § 2 et 1062.

[257] Cfr *ibid.*, cann. 140-143.

[258] Cfr *Propositio* 28; *Codex Iuris Canonici*, can. 437 § 1; *Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium*, can. 156 § 1.

[259] Decr. de pastorali Episcoporum munere in Ecclesia *Christus Dominus*, 36.

ciliorum particularium occupari nequit a Conferentiis Episcopalibus, uti clare asserit ipsum Concilium Vaticanum II cum exoptat ut Concilia particularia novo vigeant vigore. Attamen Conferentiae Episcopales validum esse possunt instrumentum ad Concilia plenaria apparanda.[260]

Conferentiae Episcopales

63. His in proferendis rebus, praetermittere consulto non intenditur momentum et utilitatem Conferentiarum Episcoporum, quae novissimo in Concilio quandam adeptae sunt formam institutionalem, ulterius illustratam in Codice Iuris Canonici et in recenti Motu proprio *Apostolos suos*.[261] Similia instituta apud Ecclesias catholicas Orientales sunt Coetus Antistitum diversarum Ecclesiarum *sui iuris*, qui in Codice Canonum Ecclesiarum Orientalium praevidentur «ut communicatis prudentiae et experientiae luminibus et collatis consiliis sancta fiat ad commune Ecclesiarum bonum virium conspiratio, qua unitas actionis foveatur, communia opera iuventur, bonum religionis expeditius promoveatur atque Ecclesiae disciplina efficacius servetur».[262]

Hi coetus Episcoporum, ut declarabant quoque Patres synodales, hodie validum constituunt instrumentum ad collegialem Episcoporum indolem significandam et exsequendam. Qua de re, Conferentiae Episcopales ulterius in plena sua capacitate existimandae sunt.[263] Illae etenim «magnopere adoleverunt officiumque sustinuerunt praeoptati instrumenti alicuius nationis vel territorii, ut sententiae mutuaeque consultationes communicarentur ac cooperatio pro bono Ecclesiae communi ageretur: "ipsae his annis factae sunt solidum quoddam, vivum et efficax ubique terrarum institutum". Earum momentum ex eo oritur quod efficaciter Episcoporum ideoque totius Ecclesiae unitatem iuvant cum sit praevalidum instrumentum ad ecclesialem communionem confirmandam».[264]

Quoniam sodales Conferentiarum Episcopalium sunt tantummodo Episcopi et omnes qui Episcopis dioecesanis iure aequiparantur, quamvis episcopali charactere non sint insigniti,[265] earum fundamentum theologicum, diversum

[260] Cfr *Codex Iuris Canonici*, cann. 441, 443.

[261] Cfr *AAS* 90 (1998), 641-658.

[262] Can. 322.

[263] Cfr *Propositiones* 28 et 29.

[264] Ioannes Paulus II, Litt. Ap. motu proprio datae *Apostolos suos* (21 Maii 1998), 6: *AAS* 90 (1998), 645-646.

[265] Cfr *Codex Iuris Canonici*, can. 450.

ac Conciliorum particularium, immediate est collegialis sensus responsalitatis gubernii episcopalis. Indirecte tantum respicit communionem inter Ecclesias.

Cum tamen Conferentiae Episcopales permanentem constituant structuram quae statis diebus congregatur, earum functio efficax erit si auxiliaris redditur respectu functionis quam singuli Episcopi in sua quisque Ecclesia divino iure exsequuntur. In ambitu enim cuiusque Ecclesiae Episcopus dioecesanus nomine Domini pascit gregem commissum sibi utpote proprio, ordinario et immediato pastori; eiusque actio est omnino personalis, non collegialis, etiamsi affectu communionis animata. Ex eo quod Ecclesiae particulares quibusdam in orbis terrarum partibus congregantur (aliquibus in nationibus, regionibus et ita porro), Episcopi qui iisdem praesident haud coniunctim suam obeunt pastoralem curam per collegiales actus, aequales actibus Collegii Episcopalis, quod, tamquam subiectum theologicum, est indivisibile.[266] Quapropter Episcopi eiusdem Conferentiae Episcopalis in coetu congregati exercent coniunctim in bonum suorum fidelium quaedam solum munera ex iis quae ex proprio *munere pastorali* proveniunt, intra limites facultatum sibi tributarum ex iure vel ex mandato Sedis Apostolicae.[267]

Pro comperto habetur, numero potiores Conferentias Episcopales, ad ministerium suum explicandum pro singulis Episcopis, qui ipsas efformant, bene constitutam compaginem postulare. Attamen vitanda est « burocratica ratio officiorum et commissionum, quae inter plenarios conventus operantur ».[268] Etenim constat Episcopales Conferentias « una cum commissionibus officiisque ad Episcopos iuvandos destinari, non ut illorum loco operentur »,[269] nec minore ratione ad instituendam structuram mediam inter Sedem Apostolicam et singulos Episcopos. Conferentiae Episcopales validum offerre possunt adiumentum Apostolicae Sedi, propriam ferentes sententiam circa quaestiones specificas communioris indolis.[270]

Episcopales insuper Conferentiae exprimunt et exsequuntur spiritum collegialem, qui Episcopos congregat et ideo communionem inter varias Ecclesias, praesertim viciniores, artas invicem foventes relationes, ad maius bonum promovendum.[271] Quod diversimode fieri potest, scilicet per consilia,

[266] Cfr Ioannes Paulus II, Litt. Ap. motu proprio datae *Apostolos suos* (21 Maii 1998), 10. 12: *AAS* 90 (1998), 648-650.

[267] Cfr *ibid.*, nn. 12; 13; 19: *l.m.*, 649-651. 653-654; *Codex Iuris Canonici*, cann. 381 § 1; 447; 455 § 1.

[268] Ioannes Paulus II, Litt. Ap. motu proprio datae *Apostolos suos* (21 Maii 1998), 18: *AAS* 90 (1998), 653.

[269] *Ibid.*

[270] Cfr *Propositio* 25.

[271] Cfr *Codex Iuris Canonici*, can. 459 § 1.

congressus, foederationes. Peculiariter prominent continentales Episcoporum conventus, qui tamen numquam assumunt facultates, quibus Conferentiae Episcopales fruuntur. Hi quidem conventus magno sunt illis adiumento ad fovendam inter Episcopales Conferentias diversarum nationum illam cooperationem quae, hoc tempore «globalizationis» uti vocant, necessaria potissimum ostenditur ad provocationes oppetendas et ad veram «globalizationem solidarietatis» exsequendam.[272]

Unitas Ecclesiae et dialogus oecumenicus

64. Precatio Domini Iesu pro unitate omnium discipulorum eius (*ut unum sint*: *Io* 17, 21) cuilibet Episcopo instans est provocatio ad accuratum munus apostolicum exercendum. Fieri nequit ut haec unitas exspectetur tamquam fructus nostri laboris; ipsa quidem praesertim est donum Sanctae Trinitatis Ecclesiae concessum. Hoc tamen christianos non eximit quin omnibus operentur viribus, nisum ineuntes ab oratione, ut iter ad plenam properent unitatem. Precibus concedentes et voluntati Domini eiusque oblationi in Cruce ad filios dispersos in unum congregandos (cfr *Io* 11, 52), catholica Ecclesia irrevocabiliter implicatam se sentit colloquio oecumenico, a quo pendet efficacitas testimonii eius in mundo. Idcirco in via dialogi veritatis et amoris perseveretur oportet.

Plures Patres synodales specificam memorarunt vocationem qua quilibet Episcopus ducitur ad hunc dialogum in propria dioecesi suscipiendum eumque instaurandum *in veritate et caritate* (cfr *Eph* 4, 15). Scandalum enim dissensionis inter christianos ab omnibus percipitur uti signum christianae spei contrarium. Modi specifici ad dialogum oecumenicum promovendum declarati sunt in aptiore mutuaque cognitione inter Ecclesiam catholicam et ceteras Ecclesias et Communitates ecclesiales, quae cum ipsa plena communione non coniunguntur; in congressibus et idoneis inceptis, ac praesertim in testimonio caritatis. Est enim quidam oecumenismus vitae cotidianae, constitutus mutua hospitalitate, auditione et cooperatione, qui singularem sortitur efficaciam.

Praeterea Patres synodales monuerunt quoque de periculo actionum parum perpensarum, quae indicia sunt cuiusdam «oecumenismi impatientis» et iter in actu ad plenam unitatem laedere possunt. Idcirco summi est momenti ut ab omnibus approbentur et ad rem adducantur recta criteria dialogi oecumenici, sicut etiam eadem imprimere oportet in seminariis candidatis ad sacrum ministerium, in paroeciis atque in ceteris structuris ecclesialibus. Ipsa

[272] Cfr *Propositio* 30.

vita interna Ecclesiae testimonium quoque reddere tenetur de unitate, mutuam reverentiam ostendens et sese aperiens amplioribus spatiis in quibus accipiantur diversae traditiones theologicae, spiritales, liturgicae et disciplinares, quae suas quaeque praestantes explicent divitias.[273]

Missionalis spiritus in episcopali ministerio

65. Ut membra Collegii episcopalis, Episcopi non solum pro aliqua dioecesi, sed etiam pro totius mundi salute consecrantur.[274] Doctrina haec, memorata in Concilio Vaticano II, a Patribus synodalibus iterum est in memoriam revocata, in qua affirmatur quemlibet Episcopum conscium esse debere naturae missionalis proprii ministerii pastoralis. Quaevis igitur eius actio pastoralis missionali spiritu est insignienda, ad fervorem excitandum eumque in fidelium animis servandum pro Evangelii propagatione. Quocirca, Episcopi est suscitare, promovere et moderari in dioecesi activitatem et incepta missionalia, etiam sub aspectu oeconomico.[275]

Item non minoris ponderis, uti assertum est in Aula synodali, est officium hortandi ad sensum missionalem in propria Ecclesia particulari, promovendo, pro diversis rerum adiunctis, valores fundamentales quales sunt proximum agnoscere, diversas culturas venerari et sincero animo inter eas operari. Item indoles magis magisque pluriculturalis urbium et societatum, praesertim veluti exitus migrationum internationalium, novos generat ordines rerum, unde peculiaris oritur provocatio missionalis.

In Aula synodali quidam interventus sunt quoque habiti, ex quibus aperte ortae sunt quaestiones quaedam circa relationes inter Episcopos dioecesanos et Congregationes religiosas missionales, qua de re in luce posita est instantia profundioris huiusmodi studii. Eodem tempore, agnita est copiosa contributio experientiae, quam Ecclesia particularis discere potest ab ipsis Congregationibus vitae consecratae ad vivum missionalem spiritum inter fideles servandum.

Hoc quidem fervore Episcopus servum et testem spei se praebeat. Missio enim haud dubie sedulum est indicium fidei in Christo et in eius pro nobis dilectione:[276] homo cuiusque aevi fide compellitur ad novam vitam, spe animatam. Praedicantes enim Christum resuscitatum, christiani nuntiant Eum,

[273] Cfr *Propositio* 60.
[274] Cfr Conc. Oecum. Vat. II, Decr. de activitate missionali Ecclesiae *Ad gentes*, 38.
[275] Cfr *Propositio* 63.
[276] Cfr Ioannes Paulus II, Litt. Enc. *Redemptoris missio* (7 Decembris 1990), 11: *AAS* 83 (1991), 259-260.

qui novam historiae aetatem instaurat, atque universo orbi bonum nuntium integralis universalisque proclamant salutis, quae secum fert pignus novae terrae, in qua dolor et iniustitia gaudio et pulchritudini locum cedent. Novo ineunte millennio, cum conscientia penitus exquirit universalitatem salutis atque nuntium Evangelii cotidie renovandum esse persentit, ex synodali Coetu innovatur adhortatio ad navitatem missionalem minime extenuandam, secus enim, ad eam per novam magisque profundam missionalem cooperationem dilatandam.

Caput VII

EPISCOPUS CORAM HODIERNIS PROVOCATIONIBUS

Confidite, ego vici mundum (*Io* 16, 33)

66. Ecclesiam gregi assimilat Sacra Scriptura, « cuius ipse Deus pastorem se fore praenuntiavit et cuius oves, etsi a pastoribus humanis gubernantur, indesinenter tamen deducuntur et nutriuntur ab ipso Christo, bono Pastore Principeque pastorum ».[277] Nonne suos discipulos « pusillum gregem » vocavit Ipse Iesus, quos est cohortatus ne timerent, verum ut spem colerent? (cfr *Lc* 12, 32).

Saepenumero hanc suis discipulis cohortationem iteravit Iesus: « In mundo pressuram habetis, sed confidite, ego vici mundum » (*Io* 16, 33). Ad Patrem rediturus, postquam Apostolorum lavit pedes, dixit eis: « Non turbetur cor vestrum » et addidit: « Ego sum via [...] Nemo venit ad Patrem nisi per me » (*Io* 14, 1-6). Hanc Viam, quae Christus est, pusillus grex, Ecclesia nempe, est ingressa, quam Ipse dirigit, Bonus Pastor, qui « cum proprias omnes emiserit, ante eas vadit, et oves illum sequuntur, quia sciunt vocem eius » (*Io* 10, 4).

Ad Christi Iesu imaginem eiusque in vestigiis Episcopus quoque exit mundo eum nuntiaturus Salvatorem hominis, cuiusque hominis. Evangelii missionarius, Ecclesiae nomine agit, quae humanitatis est experta ac nostrae aetatis hominibus proxima. Quocirca Episcopus, evangelico radicalismo roboratus, fallaces ideologias detegere, bona vindicare quae ideologicis iudiciis proculcantur, veritatem dignoscere debet. Ipse cum Apostolo iterare se posse novit: « In hoc enim laboramus et certamus, quia sperantes

[277] Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 6.

sumus in Deum vivum, qui est Salvator omnium hominum, maxime fidelium » (*1 Tim* 4, 10).

Episcopi tunc operam illa *parresia* notabit, quae ex Spiritu operante oritur (cfr *Act* 4, 31). Quocirca a se ipso recedens Iesu Christi nuntiandi causa, Episcopus fidenter atque animose suum munus sumit, «*factus pontifex*», «pons» vere factus ad omnes homines intendens. Pastoris studio permotus exit ipse ad oves perquirendas, Iesum persequens, qui effatur: «Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient et fient unus grex, unus pastor» (*Io* 10, 16).

Iustitiae pacisque auctor Episcopus

67. Intra hanc missionarii officii provinciam, synodales Patres iustitiae prophetam designaverunt Episcopum. Praepotentium bellum adversus debiles, hodie magis quam praeterito tempore, latas scissuras inter divites ac pauperes egit. Pauperes sicut legiones numerantur! Intra quendam oeconomiae ordinem iniquum, ubi praegraves structurarum vigent incongruentiae, a vita sociali exclusorum condicio in dies ingravescit. In complures terrae partes fames ingruit, cum alibi opes rerumque copiae adsunt atque pauperes praesertim, iuvenes, perfugae, gravissimis his inaequalitatibus premuntur. Multis quoque in locis mulier dedecoratur in sua personae dignitate, quae hedonisticae ac materialisticae culturae subicitur.

Contra ac saepe intra has iniustitiae condiciones, quae contentionum mortisque necessario reserant ianuam, Episcopus defensor stat iurium hominis, ad Dei imaginem similitudinemque creati. Is moralem Ecclesiae doctrinam enuntiat, ad vitae ius tuendum inde ab ortu usque ad naturalem exitum; socialem Ecclesiae quoque doctrinam enuntiat, quae in Evangelio innititur atque studiose debiles defendendos curat, se faciens vocem illorum qui voce carent, eorum sustinendo iura. Procul dubio socialis Ecclesiae doctrina in condicionibus etiam gravioribus spem gignere potest, quandoquidem si nulla est pauperibus spes, nulla erit cuiquam, ne divitibus quidem qui dicuntur.

Episcopi terrores ac genocidium strenue damnaverunt itemque pro iis qui lugent propter iniurias, qui persecutiones patiuntur, qui opere carent, pro pueris variis gravissimisque modis vexatis vocem intenderunt. Ad sanctae Ecclesiae similitudinem, quae in mundo intimae cum Deo coniunctionis unitatisque totius generis humani est sacramentum,[278] Episcopus quoque est

[278] Cfr *ibid.*, 1.

pauperum defensor ac pater, de iustitia hominumque iuribus est sollicitus, spei est lator.[279]

Patrum synodalium verbum, ac Nostrum, manifestum fuit ac grave. « Facere non potuimus quin, Synodo vertente, resilientem vocem multorum aliorum multitudinis casuum audiremus [...] Moralis ordo prorsus est commutandus [...] Nonnulla pandema mala, perdiu parum ponderata, integras multitudines ad desperationem adducere possunt. Numne continuatae famis summaeque paupertatis drama silentio praeterimus, tempore nimirum quo homines plus quam umquam humanitati aequae bonorum communicationis suppetunt instrumenta? Facere non possumus quin Nostram necessitudinem perfugarum migrantiumque multitudine ostendamus, qui propter bella, politicas oppressiones vel oeconomicas discriminationes, suum solum relinquere coguntur, opus quaesituri pacisque spem habituri. Adsunt calamitates pestilenti aere procuratae, illius morbi AIDS, ut aiunt, augmentum, litterarum ignoratio, nullum futurum aevum tot puerorum iuvenumque qui in viis relinquuntur, mulierum abusio, pornographia, intolerantia et improbabilis religionum ad vim inferendam abusio, medicamenti stupefactivi mercatus armorumque commercium: index non est absolutus! Attamen, his in omnibus difficultatibus licet versentur, humiles attollunt caput. Eos Dominus respicit et sustentat: 'Propter miseriam inopum et gemitum pauperum, nunc exsurgam, dicit Dominus' (*Ps* 12[11], 6) ».[280]

His gravissimis rebus modo descriptis, sequitur congruenter necessarioque ut pax invocetur ac sustineatur. Semper namque operantur quaedam contentionum officinae, quas hereditate tradiderunt superius saeculum totumque millennium. Ne locorum quidem dimicationes desunt, quae inter culturas et nationes magnas scissuras producunt. Taceamusne de religionis fundamentalismis, qui iugiter inimici sunt dialogi ac pacis? Complures orbis regiones pulveris pyrii repositorio assimilantur, quod in eo est ut explodat et in humanam familiam maximos dolores inferat.

Hasce inter condiciones enuntiare pergit Ecclesia Christi pacem, qui in sermone montano « pacificorum » (cfr *Mt* 5, 9) beatitudinem proclamavit. Pax omnium est officium, quae ex innumeris cotidianisque parvis vitae actibus manat. Ipsa suos prophetas artificesque desiderat, qui in primis in communitatibus ecclesialibus deesse non possunt, quarum Episcopus est

[279] Cfr *Propositiones* 54-55.

[280] SYNODUS EPISCOPORUM, X COETUS GENERALIS ORDINARIUS, *Nuntius* (25 Octobris 2001), 10-11: *L'Osservatore Romano*, 27 Octobris 2001, p. 5.

pastor. A Iesu sumens exemplum, qui venit ut captivis remissionem... et annum Domini acceptum praedicaret (cfr *Lc* 4, 16-21), is usque paratus erit ad hoc ostendendum, christianam spem cum totius hominis societatisque promovendae studio arte coniungi, quemadmodum Ecclesiae doctrina socialis docet.

Coram exinde bellorum, pro dolor!, haud raris condicionibus, si sunt, Episcopus, etiam cum populum ad propria iura tuenda cohortatur, semper debet monere christiano in quovis casu ultionem esse seponendam et veniam dandam hostibusque dilectionem.[281] Sine enim venia abest iustitia. Licet difficulter recipiatur, quod affirmatur omnibus prudentibus hominibus perspicuum apparet: vera pax venia tantum componitur.[282]

Inter religiones dialogus, potissimum pro mundi pace

68. Quemadmodum variis in occasionibus iteravimus, inter religiones dialogus paci gentium inservire debet. Religionum enim traditionibus necessaria ad dissipationes superandas ac mutuam populorum amicitiam observantiamque iuvandam suppetunt subsidia. Synodus monuit ut una cum populorum curatoribus auctores sint Episcopi congressionum, ut attente dissensiones ac vexantia orbem bella perpendant, sic ut perviae reperiantur viae ad iustitiae, concordiae pacisque communem operam procurandam.

Dialogi inter religiones de pace momentum vehementer extulerunt synodales Patres iique Episcopos rogaverunt, ut novas consensionis aperiendas vias in cuiusque dioecesibus curarent. Novae viae ad pacem insuper pandi possunt per religiosae libertatis confirmationem, cuius fecit mentionem in Decreto *Dignitatis humanae* Concilium Vaticanum II, per educationis itemque operam in novarum generationum beneficium, atque recte communicationis socialis adhibitis instrumentis.[283]

Inter religiones tamen dialogus, qui praevidetur, latior est atque hanc ob causam Patres synodales confirmarunt partem esse illum novae evangelizationis, hac praesertim aetate, cum, magis multo quam praeteritis temporibus, iisdem in regionibus, iisdem in urbibus, in cotidianae vitae operis locis, homines diversarum religionum sectatores simul vivunt. Inter religiones igitur dialogus a multarum christianarum familiarum cotidiana vita postulatur

[281] Cfr *Propositio* 55.
[282] Cfr Ioannes Paulus II, *Messaggio per la Giornata Mondiale della pace 2002* (8 Decembris 2001), 8: *AAS* 94 (2002), 137.
[283] Cfr *Propositiones* 61 et 62.

atque hanc quoque propter rem Episcopi, sicut fidei magistri ac Dei Populi pastores, ei congruam curam praestare debent.

Eo quod una vivunt cum aliarum religionum hominibus christiani, peculiari stringuntur iidem officio singularitatem universalitatemque mysterii Christi salvifici testificandi deindeque Ecclesiae necessitatem veluti pro cunctis hominibus salutis instrumenti. « Dum assertione huius veritatis ad fidem pertinentis nihil adimitur sincerae aestimationis qua Ecclesia prosequitur religiones mundi huius nostri, simul vero a radice excluditur mentis ille habitus relativismi religiosi vestigiis impressi, qui ad putandum inducit « aliam religionem tantidem esse ac aliam ».[284] Quapropter liquet prorsus inter religiones dialogum nuntii ac fidei propagationis numquam fungi vice posse, quippe quae principalem praedicationis, catechesis Ecclesiaeque missionis constituant finem.

Quod palam et citra ambiguitatem affirmatur hominis salutem ex redemptione pendere, quam Christus fecit, haud obstat quominus cum aliis religionibus instituatur dialogus. Praeterea christianae spei profitendae sub lumine non erit obliviscendum eandem ipsam inter religiones dialogi fundamentum iacere. Sicut namque in conciliari Declaratione *Nostra aetate* affirmatur, « una enim communitas sunt omnes gentes, unam habent originem, cum Deus omne genus hominum inhabitare fecerit super universam faciem terrae, unum etiam habent finem ultimum, Deum, cuius providentia ac bonitatis testimonium et consilia salutis ad omnes se extendunt, donec uniantur electi in Civitate Sancta quam claritas Dei illuminabit, ubi gentes ambulabunt in lumine eius ».[285]

Civilis, socialis atque oeconomica vita

69. Sua in pastorali sollicitudine Episcopus amoris iustitiaeque necessitatibus deesse non potest, quae ex socialibus oeconomicisque condicionibus hominum pauperiorum oriuntur, in quibus desertis atque vexatis peculiares imagines Iesu totidem respicit christifidelis. Eorum intra ecclesialem civilemque communitatem praesentia fidei nostrae christianae sinceritatem experitur.

Aliquid de implicata illa re, quam globalizationem appellant, dicere velimus, quae una est ex praesentis mundi peculiaritatibus. Etenim rei oeconomicae, nummariae et culturae item in unum globum coacervatio, seu « glo-

